479 11.

J. J.

AMOREM VENENATUM.

PRAESIDE

JOH. GEORG. SIMONE. D.

EXHIBET.

JOHANNES. Tornung.
VVERNIGEROD.

JENÆ. A.C.M.DC. LXXIIX.

TYPIS. ET. IMPENSIS. MÜLLERI.

BONO. CUIQVE.

ET

CANDIDO.

LECTORI.

DICO. AC. DEDICO.

CUI.

FACILLIMUM. ERIT

INVENTIS. SUUM. ADDERE.

I. Hornung.

L. S.

PRodeo in lucem denique, Amice Lector, meo quidem ſuffragio, cauſæque, quam propugno, merito quadratè confidens, at tamen æqvum perinde omnium applauſum præſenti hâc vice conamini deſperans. Quam multi etenim in hoc argumento ab opinione contra verum ſtent, eloqui per verba reor facilius eſſe, quam animo complecti. In tantum quippe valet fatale partium ſtudium, ſectæque non ſemper ad palatum præparatæ favor. Amorem tibi Venenatum ſiſto, quem ſive ſub philtri, ſive poculi amatorii, ſive alio quovis deſiderii conceptu propinatum velis, mihi idem pro lubitu negotiũ facesſes. Hoc ſolùm doleo, Te, niſi omnem probè circumſtantiam in perlegendo mecum penſitaveris, mihi acerbè contradicturum citius, quam meos eſſe probaturum ausus. Utcunque tandem (utrumvis enim feram) evenict, juvabit nihilominus, propoſito inſerviiſſe laudabili, inſediſſeque pariter materiæ ſpinoſæ. Inter omnes quippe diſpalleſcit, thema præſens in civili mortalium converſatione frequentiſſimum; aſt nunquam in noſtrâ Juris Cathedrâ, quantum mihi quidem conſtat, elaboratum ex profeſſo, atque ventilatum exiſtere. Nonnulli namque JCtorum ex eo unam vel alteram quæſtionem enodare aggreſſi ſunt, aſt nemo manum operi, uti par erat, hactenus admovere præſumpſit, aut ſparſim tradita & hinc inde occurrentia in ordinem redigere, ne dicam ſuum ex decenti quoque penſum adjicere, ſategit. Quidam præterea ad-

838406

eò timidè, trepidè ac tepidè rem gesserunt, ut optimo jure eosdem nullos (neutrales volui) fuisse judicaveris, verbis scilicet negantes, re & facto asserentes, viceque multoties mirificè conversâ. Tacebo reliquos philtris ad superstitionem usque deditos, quos iterum non parum confundit aliorum de vanitate veneni amatorii contorta contradictio. Ego primitus, tot Autorum paginas revolvens, ridiculam rem judicabam; postmodum, cum unum semper alterum iisdem ferè verbis exscripsisse, nec suâ interim manu compressisse negotium appareret, validè tædiosam. Occurrebant Vierus, Delrio, Tiraquellus, Afflictus: Succedebant Covarruvias, Clarus, Menochius, Alciatus: aderant Commentatores ad paragraphum quintum Institutis de publicis Judiciis, ad legem 38. §. 5. de pœnis, imò ad totum titulum Pandectarum & Codicis ad Legem Corneliam de Sicariis; sed illi communiter ferè suum bonæ vel malæ intentionis poculum ursérunt, ut & ad Paulum Girlandum me iterum remiserunt: hunc quoque comparatum perlegi, ast de propriâ frequenter experientiâ attestantem, & mihi in respondendo cerebrina multa licentiosè proferentem, confestim, qui rationibus pugnare assvetus eram, deposui, idque magis ideò, quod Illi imperium attribuere Monarchicum satagerent Damhouderus & Berlichius. Succenturiebantur Bodinus, Godelmañus, Tholosan9, Malle9 Maleficarum Institoris & Sprengeri, Binsfeldius, Troilus Malvetius, Martinus de Arles, Bartholomeus Spineus, Conradus Brunus, aliique ab his sufficienter allegati antiquiores, quos, quâ adjuvantibus Magnorum Virorum bibliothecis comparabiles fuêre, gnaviter excussi; sed in iisdem rursus materiam quæsitam partim non inveni, partim inventam hiulcè & salebrosè, imò verbis monasticis, quid? semibarbaris ac antiquioris prælii ita obscuratam intuitus sum, ut tunc temporis (ingenuè confitebor) nesciverim, an calamum porrò admovere, an opus penè desperatum intactum relinquere debuerim. Stans in hoc bivio incertans juvenis reputabam de novo, molimina mea labore

bore forsitan substrato imbecilliora esse, nihilominus, si modò cœptis insisterem, cum die & consule sua captatura conformia incrementa. Repetii proinde versatile officium, relegi, cui jam valedixeram, Girlandum; superinduxi Criminalistas Bossium, Petrum à Plachia, Decianum, Boerium, Theodoricum: imprimis, quos inter eos in Praxi quotidianâ opinabar famosiores, Farinacium atque Carpzovium. Verum & Hic, quoad hocce punctum, sibi ipsimet parum constans; Ille felicior, fastidiosâ rursus vetustiorum allegatione me circumducebant. Consului Canonistas, qui de Diabolicâ philtratione, non exigua, deque hæresi, quam sapere dicebatur, multa promittebant; Sed parum hoc erat ad prosecutionem materiæ susceptæ, qvum omnes fermè eâdem quasi individuali lingvâ locutos credidisses. Adii Consistoriales, at in his etiam pauxillum solatii erat latranti stomacho, sat parcè eidem succurrentibus Cypræo atque Dedekenno. Lubenter insuper Cœlium vidissem Calcagninum, Illum Ciceronis oppugnatorem, cujus de Magiâ amatoriâ Tractatum cum Delrione & Beyerlingio produxerunt quidam, eumque conquisitis, quæ huc faciunt, ex Aristotele, Theocrito, Virgilio, Propertio, Plinio, Luciano, aliisque veterum instructum deprædicat Jordanus: Atqui rursus hic Scriptor mihi omnem operam navanti Jenæ obtingere non potuit, quid? multis, licet graviter Doctis, ne quidem nomine tenus innotuit. Mansisset denuò desistendi decretum, ni alii Patroni Autores extitissent, reliquam Doctorum Catervam volutandi, atque ex iisdem primitùs flores & dispersa varia colligendi, quæ aliquando, Methodo inter Disputantes consvetâ, digeri possent. Nunc demum vidisses, L. B. Doctorum utriusque Juris, Historicorum, Lexicographorum, aliorumque Literatorum idem per idem explicantium cumulum, contradictionum fatraginem, tandemque, cum ad rei pondus pervenire debuissent solidè pertractandum, vastissimum nihil. Devoravi nihilominus molestias, corrasi undicunque potui, excerpsi & disposui, uti putabam materiæ convenientissimum esse: excreverunt ergo paginæ bre-

vi tempore in tantum, ut congruum censerem Discursum, qui, typis exscriptus, publicæ committeretur cathedræ. Quis me tum lætior erat, quis felicior, aut animosior? qui tot Autorum discrepantes opiniones perlegisse, invicem comparasse, ponderasse & suo modo conciliasse gaudebam. Credebam opus cedro dignum, si Diis placet! seræque posteritati sedulò committendum. Ast ecce notissimum veriverbium: Quod citò fit, citò perit: me quoque, intra præcordia mox ante elatiorem, non ita multò post inopinatò remissum fecit adeò, ut in fumum quasi abiisse, imò penitus evanuisse mihimetipsi viderer. Cognovi etenim tum demum causam, quamobrem hactenus tot Viri Celeberrimi huic Amori elaborando non diligentius insudaverint. Inveni Bokelium cum Mynsingero, Reyem, á Castro, hacque occasione causâ diligentius deliberatâ, aliorum Doctiorum numerosum Catalogum, qui omnes, de dabilitate amoris mei dubitabant, imò falsissimum, ἀφιλόσοφον, crassum, superstitiosum, & (nescio ferè quid amplius, confirmabant, asserere velle, amorem artificiosè venenatum in mundo existere aut excitari posse. Apparebat proinde rursus ab initio tot septimanarum labor meus de non-ente susceptus, redibatque, me graviter pœnitente, in nihilum, quod erat ante nihil. Postea tamen, in memoriam revocato eo, quod tot Viri gravissimi, tot Facultatum, tàm Theologicarum, quàm Juridicarum, inter Pontificios & Augustanos responsa, tot Medicorum asserta, tot Historicorum exempla cum rationibus & experientiâ modernâ combinata huc usque mecum fecerint & adhuc mecum sentiant, vires integravi pristinas, juxtim & (posthabito effato Mynsingeri de horum omnium errore) rationes Negativæ partis, quantum ad institutum meum conducibile cogitabam, examinavi, cum fundamentis Asserentium contuli, meoque, quali quali, judicio rem dimetiendo, Iliacos intra muros & extra maximopere peccarum fuisse repperi; multis, in hoc amore venenato conciliando, philtris omnem, multis è contrario nullum penitus, effectum adscribentibus. Quapropter placuit in hâc opinionum va-

varietate medium tenere, neque non, ubi opus fuit, ab omnibus seorsim ire. Adstruxi amoris mei dabilitatem aliquando ex fonte artificiosæ sympathias deprimi posse, sed eo iterū non solo, quū & pura puta pharmaca Venerea cū causis variis externis, visu scilicet, conversatione, descriptione, commendatione, aliisque id genus, combinata idem efficere valeant; quibus non rarò Diabolus, vel ut signis vel ut mediis abutens, ad perditionem nostram secundas agit. Removi continuò, quæ minus probabilia mihi occurrebant, aut intentioni meæ è regione adversari censebam. Subjeci definitionem, causas tam internas, quam externas, effectus & species, superadditis, quæ sparsim inveni, exemplis & taxationibus prodigiosæ libidinis non paucis. Peragravi breviter materiam juris personarum ac rerum, quà hoc nimirum obligationem ex dominio, consensu, factoque pariter secum trahebat. In specie rationem habui negotiorum matrimonialium, eorumque varias circumstantias, ex dolo, vi & metu subortas, revocavi ad animum. Supposui actiones injuriarum distinctas, quæ philtrato contra philtrantem, sive ex culpâ egerit, sive ex proæresi, conceduntur & competunt. Excepit hæc officium judicis, per maximā partem patratorum philtrantis philtratique se diffundens, junctâ analysi memoratæ legis 38. §. 5. de pœnis, quam unicam ferè Civilistæ in arenam produxerunt, reciprocarūt, exagitarunt. Concluſi denique cum remediis amore probantibo & purgantibus, brevē mentionem faciendo contrariorum, & casus, ubi amorem venenatum moraliter nonnunquam licitum esse arbitrabar. Quid rei gesserim, quidve præstiterim meâ hâc opellā, Tibi L. B. committo, cui, re jam compilatâ, expeditius erit judicare, quam mihi conscribere. Noli interim malè habere, quod sœpenumero unum vel alterum locum ipsissimis Autorum verbis excerpere & inserere præsenti Dissertationi voluerim: desiderabat namque hoc partim avertenda præsumtio, quasi scilicet, alterius allegatis insistens, ter-

tium

tium citantem, ut grus gruem (more apud nos frequentissimo) secutus essem; partim ut uno Tibi intuitu simul constaret de mente Autoris allegati, deque meâ, ut allegantis, epicrisi. Id quippe malum inter nos ferè inexstirpabiles radices egit, ut Viros claros refutare eisque contradicere in delitiis habeatur, mente eorum nunquam planè perspectâ aut assecutâ; quæ causa etiam est, ut tot vindiciæ inter eruditos densentur, chartarumque moles, cum singulari Reipublicæ literariæ detrimento unicoque Bibliopolarum commodo, coacerventur atque prostent. Ut igitur à nævo hoc alienus esse, simul ac Tibi evolvendi nauseam præripuisse dici queam, paulò prolixiorem me gerere, æque ac crenæ nigredinem fusius disseminare debui. De cætero revoco omne superstitiosum, contra Fidem Orthodoxam verbumque DEI pugnans, aut aliter hæresin inter Christianos sapiens. Recuso quid posuisse contra jus Naturæ, Morale & Gentium; Detrecto detraxisse seriò veritati Juris Civilis, Canonici, Feudalis, aut Moderni Statutarii; Pœniteat in minimis derogasse Majestati absolutæ, aut Superioritati Principum territoriali, aut cuivis etiam alii Magistratui ab Eâdem dependentem jurisdictionem habenti; Renuncio omni falso Medico aut Philosophico, æque ac experientiam apertam oppugnanti; Piè saltim rem meam tractare intendo, ad DEI Gloriam, Reipubl. salutem, proximi adjumentum, meamque perfectionem & commodum; Subjicio ergo me Censuræ cujusvis; Accipio à quolibet informationem; Emendo tacitè omne iniquius; Ago absens gratiam Correctori, petoque diligenter, amicè, officiosè, & respectivè humiliter, ut suum in hoc themate dubium (modò non sarcasticè, ubilibet enim de meâ defensione protestor!) aperiat, meque promptissimè obsequentem expectet. Tu interim, æterne DEUS, Naturæ Autor & Auctor, opus manusque felicita & cœpta secunda!

THESIS I.

POsse in homine generaliter tàm rerum, quàm personarum amabile desiderium, alioquin, si individuum ejus absolutè spectes, insolitum, per artificium concitari; similiter (salvâ Ethicorum distinctione, quam aliàs quidem probè cognitam habeo, hîc tamen, propter præsentem Discursum laxiùs paulò & extensius pertractandum, non curo) dabilem esse *in genere venenatum*, imprimis concupiscentiæ, *amorem*, impetumque pharmacis Venereis provocatum, qui sese promiscuè in quovis objecto amabili terminet, mihi de facili nemo, ex parte modò sanus, quantum ego scire valeo, denegabit: parum de cætero, quoad hoc thema, solicitus, an ille causetur remediis naturalibus industriaque medicâ præparatis; an verò per illicitam assistentiam & concursum Diabolicum conquiratur. Humores etenim turbare, semen augere, irritare, corpus accendere, spiritus incitare, libidinis stimulos ingerere, flatulentiam, pruritum, calorem conciliare, phantasiæ aliquid ut elegans appetendum amandumque objicere, concupiscentiæ motum succendere, & sic sensitivum appetitum excitare; præterea hominem, fortè melancholicum, aut, penè dixerim, μισάνθρωπον ad conversationem & vitam quodammodò lætiorem allicere, uti Nostrates sciunt Naturæ Indagatores, ita multò melius callet Sathanas, Physicorum omnium inter mortales experientissimus. Imò hanc thesin *tàm vetustioribus*, ut Plinio, Luciano, Juvenali, Tibullo, &c. *quàm recentioribus*, ut Ficino, Pomponatio, Grillando aliisque pluribus concedent omnes. Dari autem *amorem Venenatum specialem*, hoc est, posse appetitum sensitivum concupiscibilem ad unum aliquod in specie subjectum desiderandum arte operaque & hominis & Dæmonis coordinari, inter eruditos parum expeditè creditur. Quæstionem hanc Philiatris & aliis rerum causas scrutantibus, ad quorum Cathedram *in actu signato* spectat, ex professo discutiendam libenter relinquo: qvum mihi hâc vice sufficiat, *in actu exercito* affirmativam non minus probatorum & Physicorum & Medicorum opinionem fuisse insecutum, quam & communiter Praxis nostra Juridica,

per-paucis, uti reor, Doctoribus exceptis, approbavit. Certissimum siquidem est (ut alia communiora taceam, de quibus §. 2. & seqq.) in rerum natura dari quandam antipathiam & sympathiam, eamque mediis naturalibus excitari & promoveri posse, ita quidem, ut Philtris primitùs alterati & præparati postmodum hominum affectus per subsequentem subjecti amandi descriptionem, vel ad minimũ imaginationem, &(qui hîc respectu ansæ dationis videtur fortissimus) visum ex occultâ quâdam vi naturæ magneticâ ad amandum se invicem nolentes volentes quasi trahantur, & sæpius, quoad amorem illicitum, voluntatis, in se & intrinsecè cogi nesciæ, imperium ac directorium per suum feliciter succrescentem, tametsi inordinatum, impetum suffocent quasi atque præcludant. Cum enim quisque se ipsum amet, & pars suo Toti conjungi gaudeat, pars ista fermenti in philtro recepti gaudet conjungi cum homine ex quo venit, & animam recipientis quasi secum rapit: ideoque amborum animæ eodem modo operantur in duobus corporibus ratione unius fermenti symbolizantis, & sic compatiuntur. Licet hæc arte facta compassio (quæ ad sui intenti, amoris scilicet, perfectum subsistere etiam, ut mox ante monui, delineationem, conspectum, allocutionem, &c. personæ amandæ cum veneno applicato combinavit) fortè propter prædicti subjecti carentiam, juxtim & si philtratio à tertio suscipiatur, *vid.* §§. 12. & 54. frustraneam ambitionem, sensus aliquando nimium quantum concutiat, quid? in furorem agat, aliumque & parum absimilem motum turbulentum, præsertim ubi excessus in dosi accesserit, concitet adeò, ut majestaticum rectæ rationis regimen in tali subjecto impediatur, intellige *non quidem quoad causam* & fundamentum (manet quippe hoc liberrimum) *Sed quoad externum saltem actum* sive exercitium, *add. Sylvest. Rattray, de Caus. Sympath. & Antipath. pag. 56.* Dissentire à me videntur *Hennel. in Otio Uratislav. cap. 21. pag. 154. Joh. Beckel. in integro suo Tract. de Philtris; Utrum animi hominum his commoveantur necne? Roderic. à Castro in Medic. Politic. l. 4. c. 2. pag. 215. & seqq. Caspar à Rejes, in camp. Elys. Jucund. Qu. Medic. Juridic. pag. 346. Quæst. 29.*

aliique

aliique plures. Item *Constitutio illa Siciliæ*, quæ incipit: *amatoria pocula* (ad quam commentarium fecit *Matth. de Afflict. ad Const. Neapol. Rubr. 41. lib. 3. num. 4. pag. 207. b.*) traditum de philtris frivolum & fabulosum reputat. Sed, re penitius perpensâ, hîc planè nullam arbitror subesse contradictionem: nisi temerariè & præter intentionem meam in hoc præsenti casu *confundere velis causam solitariam cum causâ sociâ*; hoc est, Venenis *absolutè* adscribere, quod tamen, in puncto executionis, supra allegatis v. g. visui, conversationi, recommendationi, aliisque mediis cum Philtro (tanquam causâ primariâ in substrato negotio fundamenta ponente, & sæpe dicto amori certissimè præparatam instructionem constituente) concurrentibus, cooperantibus & collaborantibus conjunctim attribuendum est. Etiamsi vice versa processus ita quoque institui queat, ut præcedant fundamenti loco visus, conversatio. &c. prædictaque hactenus venenata potio aut alia Dæmonis cooperatio sequantur, *vid. thes. 3*

Thesis. II. Præmissis hisce *Bokelio Cap. 4. & 7.* eique adstipulanti Mynsingero (qui carmen quoque gratulatorium ejus Tractatulo adjecit) cum totâ à me apparenter dissentientium cohorte (1.) non nego, amorem nimium libidinosum non rarò vitium animi potius nominandum esse, quam corporis: sicut vitium animi est, nimium esse timidum; per ea, quæ tradit *Baldus, ad l. Labeo. 1. & 9. de Edict. Ædilit.* Sed per hoc nondum destruitur, ut rectè infert *Matth. de Afflict. l. c. §. poculum amatorium. n. 4. pag. 206.* ex poculo vel cibo instructo de variis ad Venerem aliamque compassionem causantibus posse amorem procedere, accedente tum maximè, uti *thes. præced.* dictum est, ad hancce solitariam Causâ sociali. Concedo (2.) etiam *Bokel. cit. cap. 4.* loco speratæ sympathias, solam sæpius copiam seminis generari penes eum, cui philtrum applicatur, quoniam regulariter adhibentur unà ejusmodi medicamenta quæ virtute semen augendi & acrimoniam flatusque inducendi pollent: imò (3.) mortem etiam causari per imperitiam applicantium, & aliam multifariam mentis vesaniam *add. θθ. 8. 18. 38. & seq.* adeò quidem, ut rectè hîc applicetur illud *Ovidii, lib. 2. de art. amand.*

Philtra nocent animis, vimque furoris habent; Daß es bißweilen aufs ärgeste geräth zur Unsinnigkeit/ Kranckheit/ und Tode/ und offt/ ohne des Philtrantis Willen/ aus dem Gang-mir-nach/ ein Leg-ins-Grab wird/ uti loquitur *Dn. Mich. Freud. in* **Gewissens-Fragen von Zauberey und Zauberern/** *Qu.* 152. *n.* 4. *pag.* 329. *add.* **Zeiller.** *Epist.* 80. *Cent.* 2. *pag.* 502. Verum has quoque probationes (α) à causâ per accidens ad causam per se concludentes esse, nemo non videt: abusus quippe & artis ignorantia dabilitati usuique rei vero neutiquam præjudicant: nec etiam (β) ab eo, quod aliquando effectus per accidens non sit secutus, statim argumentandum est simpliciter, nullam Causam dari, quæ hunc effectum, positis omnibus ad agendum requisitis, regulariter producere queat. (γ) pro me respondeat *Kornmann, de Lin. Amor. c.* 3. *pag.* 55. *Qu. an cibis amor concitari queat?* Notum est, tradit Ille, cibos nutrire & sine iis hominem vivere vix posse; Quibus autem quis cibis utitur, eorundem alimentum & efficaciam sibi adsciscit: ut videre est in sylvestribus & feris illis hominibus, Indianis, trucibus illis Tartaris & Zingaris, qui radicibus sylvestribus vescuntur: sicque sylvestres, feri, truces, barbari & bruti redduntur & efficiuntur. Dicas autem cibos assumtos nutrire corpus tantum & non animum, cujus affectio est amor, sicque ex cibis nulla ejus conciliatio fieri potest? Faciam tibi satis. Cibos quidem corpora nutrire verum est: at non tantum corpora, sed & animos; spiritus siquidem & odores ex cibis provenientes secundum suam innatam qualitatem qualificant hominis animum, ut vinum non tantum corpori prodest, sed & cor hominis animumque ejus lætificat, & barbaræ gentes non corporibus tantum, sed magis quoad animorum affectiones truces & feroces sunt; homo enim non tantum corpore constat, sed & animâ. Ut autem corpus corporalibus & tangibilibus assumptis nutritur & sustentatur cibis; ita anima incorporalibus & iis, quæ tangi haud queunt, spiritualibus alitur: ut eodem modo secundum proprias qualitates & convenientias & corpus & anima servetur. Caro autem, in quâ cupiditatum nostrarum radix existit, si ciborum multitudine & varietate pingvis reddita fuerit, sui amorem, luxuriæ, reliquorumque vitiorum impetus

ger-

germinat, etc. hucusq; Kornmann. Colligerene nunc potes, L. B. fundamenta appetitus interna per artem producibilia, quibus, si accedunt venena compassionum à subjecto amando depromta & cum sensuum externorum actionibus coaduna a, amorem nostrum habemus perfectum. Præterea (4) pergunt *Bokel. l.c. & Rejes, pag.* 355. si philtris assumtis induceretur amor, sæpius nunquam visa nec cognita amare cogeremur, neque aspectu rei amatæ opus esset, & mutuas effigies in conciliando amore Viros Principes utrinque mittere supervacuum esset. Ignotorum nulla appetentia, neque sanè notitia universalium appetitum parit. Nemo enim hominem amat, sed Annam, Mariam, Elisabetham, individua singularia. Objecta enim sensuum, quæ appetentias excitant, singularia sunt. Hæc *Bokel.* Idem erit judicandum de traditis *Roderic. à Castro l. 4. c. 2. p.* 221. per philtra nimirum, quæ & menti & corpori utplurimum valdè noxia sunt, stimulum venereum in homine concitari posse, imprimis verò in eo, qui amore alicujus ardebat: at istum stimulum non in unam certam personam, sed promiscuè in omnia concitari individua, aut augeri quidem in jam antea amatum; neque id philtrum, sed potius pharmacum Venereum dici, quod ex causis naturalibus ad Venerem incitat. Ast iterum hic mihi (misso eo, quod de amore hominis in genere protuli, regulando scilicet secundum *θ.1. in princ.* traditum) confunditur causa solitaria cum socia: affirmavi enim *cit. θ.1.* & jam repetii *h. θ.2.* philtris amorem instrui, &, ratione fundamenti appetitum sensitivum subigentis, præparari; visu autem, per quem singularis occasio vel leviter vel enormius erumpendi passionibus intra latentibus, & præparatis, ut dictum, desiderii igniculis conciliatur, confirmari, perfici & consummari. Quocirca largior, aliquem, ut nunquam visa nec cognita amet; amore puta, ut hoc loco vocare debeo, perfecto, per nudum philtrum cogi non posse; sed requiri insuper v. g. visum, confabulationem, conversationem, &c. Ita quidem, ut visus nihil per suam ansæ dationem potuisset exequi in homine, qui per se aliàs personam aliquam non adamasset, nisi ejusdem appetitum concupiscibilem venenum Sympatheticum antea ad inclinationem hujus subjecti probè disposuisset: & vice versa, hæc erga partem

amandam provocata venenis inclinatio in herbâ quasi enecata fuisset, nisi v. g. visus, imaginatio, descriptio, &c. ad ejusmaturitatem concurrissent. Sic insuper aliquis ad vitam solitariam & quasi μισανθρωπίαν magis inclinans per nudum visum ad futuram affectionem, amorem aut desiderium personæ certæ non facilè commovebitur, imò, licet etiam amabilis sæpè ab eâdem adjiciatur discursus, nihilominus eundem subterfugiet & pro possibili ejusmodi conversationem evitabit: mederi tamen huic affectui aliquando poterit per media naturalia, ipsius Constitutionem non solum à Melancholiâ purgantia & animum exhilarantia, sed etiam ad consociationis generalem appetitum instigantia, imò & in specie ad aliquod certum Individuum desiderandum non parum necessitantia. Nudus igitur visus nudumque philtrum *divisim* nihil; *conjunctim* omne poterunt, totiusque intentionis punctum ferunt.

Thesis III. Interim inficias non eo, posse quoque non adhibito philtro primam amoris lineam atque telam aliquem utplurimum à descriptione, imaginatione, visu & discursu exordiri, *vid. §. 15. Glosſ. in l. quod ait. ff. ad Leg. Jul. de Adulter. Caſpar. à Rejes in Camp. Elyſſ. Jucund. Q. Medic. Jurid. Theolog. pag. 346. num. 1. q. 29.* cui postmodum appetitus sensitivus secundas agit, & per voluntatem determinatur; quanquam nec hoc perpetuum: qvum etiam per descriptionem, imaginationem, quid? per tactum auditumque in cœcis de eodem amoris effectu constet. Nil dicam hac vice de gustu & olfactu, quoad amorem præcipue rerum; qvum in hisce Cœcus atque Videns eodem modo se habeant. Ut proinde (5) iterum vanus sit *Bokelius*, quando *ſæpe cit. cap. 4.* sequentia profert: Concludimus igitur, nullam talem efficaciam esse in herbis, verbis, ceremoniis, figuris vel amuletis; sed visum & notitiam rei semper usum horum omnium præcedere, & visum primam lineam amoris esse affirmamus in altero amantium, priusquam amor fiat mutuus, quem mutuum fieri postea amans omnibus modis seque redamari ac placere studet amatæ, ideò, quoad fieri potest, ei sese insinuat, & svavi consvetudine obsequiisque animum ejus sibi conciliare adnititur, & sedulò dat operam, in quam occasionem

nem dies noctesque intentus est & advigilat, ut tandem amatæ potiatur: Cum igitur sensum visus philtra adficere nequeant: neque sanè effecerint, ut hoc & non aliud objectum ipsis placeat, vel deligendi facultatem ipsis, sensui communi, vel intellectui impertiant. *Et paulò post*: Concludimus igitur: Oculis inesse principium motus in amore conciliando. At Philtris non adficiuntur oculi, qui sunt in amore duces. Ergo neque sensus communis, intellectus, ac multò minus cor, quod affectuum, imprimis amoris, sedes est. Hæc *Boketius*. Consentit *Roderic. à Castro, l. c. p. 219.* hujus amoris, *dicens* (vehementissimi & penè indomiti) prima linea & causa motiva visus est; objectum pulchrum externum. Uxor Potipharis Josephi, pulcherrimi juvenis, quotidiano conspectu in ejus amorem concitatur. Istius sensus vim agnoscens Virgilius, inquit; ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error: & alibi: Intrat amor mentes visu, dediscitur usu. Et Plato in Symposio amoris furorem fascinatorium esse docuit, quia mutuo aspectu & intentione oculorum amor hauriatur augeaturque. Hinc, ut Plutarchus scribit, diffluit ac colliquescit amator, ubi pulchra intuetur, pulchrum enim ex adverso conspectu, quod ex ipsorum oculis exit (sive id lumen sit, sive influxus) amantes liquefacit, & consumit cum voluptate dolori conjunctâ. Tandem hanc visus excellentiã Philosophi summis encomiis extulerunt. Aristoteles dicit, eum esse nobilissimam animæ ancillam & fidissimam scientiarum amicam. Plato speculum intellectus. Seneca bonorum omnium infundibulum, addere debuisset & malorum: Cicero Minervam Thesaurorum vocat: Euripides oculos esse scribit animæ aulicos: Theseus anteambulones voluntatis: Menander specula memoriæ: Poetæ eos esse dicunt stellas corporis. Itaque Visus amoris initii & incrementi occasio prima est; nam *primò* visæ formæ simulacrum visus offert imaginationi, quod Phantasia volvit ac revolvit, *tunc* homo istud objectum dignius judicat, quod ametur, cæteris rebus, *mox* amor præsentia rei amatæ fovetur ac gliscit, non quod semper objectum externis oculis videat (nam & absentes plus amore cruciantur) sed quod assiduè de illo cogitet, quod ar tea vidit, illudque plus, quam par est, æstimet, & imaginando fomenta

menta & faces præbeat ardori: si enim ab externâ duntaxat visione penderet, cum plures eandem videant, & vicissim videantur ab eâ, non unus solus deperiret, contemnerent reliqui. Hæc *Rodericus, add. Caspar à Rejes. Elys. Camp. Qu. Medic. Jurid. q. 29. pag. 346. & seq.* Ex quorum Discursu, ut Tibi, Lector, de faciliori responsione constet, sequens formo ratiocinium: Quodcunque non versatur circa principium amoris, illud ad amorem nihil operatur: Atqui Philtrum non versatur circa principium amoris: E. Minorem ita probant: Quodcunque non versatur circa Visum, non versatur circa principium amoris; Visum enim vocant primam amoris lineam: Atqui Philtrum non versatur circa visum. E. Repono (α) negando simpliciter Majorem propositionem, si illa universaliter capiatur: Sic autem illa melius procederet: Quodcunque non versatur circa visum, illud non versatur circa quoddam principium amoris; & sic prædicatum Majoris fit particulare, & per consequens mihi totum argumentum non obest. Possunt enim plura, ut ante demonstratum, esse amoris principia, quorum intuitu visus non rarò se habet solùm per modum ansæ: multa quippe non spectant ad principium primum, sive causam impulsivam, quà particulariter illa in effectum influit rei componendæ, ita tamen se habent, ut, tanquam propter defectum causæ sociæ, compositio absque illis nec feliciter procedere, nec res, quæ est in fieri, ex vòto absolvi queat. (β) Consequentiæ falsitas, imprimis quod visus dicatur prima linea amoris, in Majore alio modo eluceſcit: potest namque, uti hâc & præcedente thesi sufficienter monui, amor jam tum esse ante visum præparatus ratione fundamenti, adeò, ut visus tunc (sicuti in cæcis alii quoque sensus) tanquam supplementum saltim accedat. (γ) Quid si etiam, ut minori propositioni aliquid adjiciatur, statuerem (dabis tamen fortè hallucinanti veniam) circa visus (perinde ferè, ut circa reliquorum sensuum) alterationem aliquo pacto philtra versari; licet inter omnes cognitum sit, eadem ad actum videndi nihil tribuere aut conferre. Hæc quippe artificiosa amoris præparatio & compositio totam animam sensitivam afficit, & per consequens, omnes ejusdem facultates; tametsi non æqualiter uno eodemque afficiendi modo: ita ut im-

poste-

posterum motus intrinsecus cordis, per venena incitatus, omnes sensus tam internos quam externos plus solito turbet & exagitet. Quid? quod exinde eveniat, ut secundum artis peritiam philtratus, propter applicationem mediorum à personâ aliquâ, quæ amari desiderat, vim occultam magneticam & quasi ad compatiendum (uti *Thes.* 1. posui) symbolizantem secum trahentium, non quodvis aliud ante obtingens visibile objectum (etiamsi magis pulchrum, amabile, agile, facundum, officiosum, &c.) sed modò illud *unicum*, à quo venenum est desumptum, quamprimum viderit, *unicè* appetat, assectetur, ambiat & colat. Quod (6) profert argumentum *Bokelius*, & repetunt *Roderic. à Castr. in Medic. Politic. lib. 4. cap. 2. pag. 216. & Caspar. à Rejes, Elys Camp. Qu. 29. pag. 355.* (qui tres Autores, in multis hujus materiæ verbis & articulis, adeò invicem, tecto licet nomine, fraternizant, ut, nisi tempora editorum operum respexeris, nescias ferè, quis alterum exscripserit) refutatione jucundâ indiget: sic autem Illi, in certam, inquiunt, personam si philtra agerent, quidni & in hostem, si ipsi exhiberentur, agerent? atque hoc pacto hostium animos in amorem nostri allicere possemus. Quid igitur efficacius esset ad pacem inter animos capitali odio dissidentes, & bello exitiali decertantes conciliandam, quam Philtrorum usus? quod concordiæ vinculum inter homines firmius ac tutius foret? Atqui, ut minimi quid respondeam concluso huic satis debili ac labili, det modò semper copiam mihi *Bokelius* cum suis assectis hostium, facultatemque ad minimum per tertium talem, ut eorum conversationis & conviviorum potiri queam, in simul ac philtrum ubilibet, qualiquali licet negativo dolo, iisdem propinare sufficienter; & gratias ipsi habebo magnas, omnesque Principes absolutos sedulò monebo, ut antequam bellum inchoent, totque militantium invicem millia perdant, prius ad amoris venenati compositionem refugiant. Absurdum igitur *Bokelianum* ipsi soli & sociis, non mihi nec omnibus Cordatioribus, absurdum erit. Insurgit (7) *Roderic. à Castr. l. c. pag. 216.* iisdem verbis cum *Bokel. c. 7. in fin.* [quamvis se invicem non citent] nullum exemplum in sacris, vel ullis aliis probatis Autoribus, legi contendentes, quo docueris, verum & constantem amorem inter conjuges vel alios amantes Philtris conciliatum fuisse. Meritò igitur, pergunt Illi, eorum dogmata damnamus, qui philtris eam potentiam & vim

in conciliando amore adscribunt. Verùm ad hoc regero [α] à fide historicâ Sacræ Scripturæ tacente ad negantem argumentandum non esse; cum de multis eadem taceat, quæ tamen nihilominus dantur & vera sunt: imò si *Rodericus* & *Bökelius* fuissent boni Logici, ego ex Syllogismo ab Ipsis prolato similiter concluderem, *Bokelium* & *Castrensem* non extare, multò minus eorum scripta dari, quia in sacris non reperiuntur. [β] Quod de amoris constantiâ *Bokelius* méminit, &, quoad matrimonium concors, repetiisse videtur *Christoph. Besold. Thesaur. Practic. verb.* **Liebes-Trücklein.** *58. item Tract. de Nupt. Cap. 9. num. 3.*] me planè non ferit, cum sufficiat *primò* ad dabilitatem amoris, ut ille ad tempus homini insit, sicuti alius quilibet affectus, appetitus tàm concupiscibilis, quàm irascibilis: *Secundò* tempus est quantitas, & per consequens accidens saltem rei, ad ejus durationem faciens; quis autem dixerit, rem in se reverà talem non esse, ne dicam non dabilem, si longiori aut breviori spatio non super existat? Quare adhuc consideratior fuit *Besold. l. c.* qui adjecit vocula *ferè*: innuens, hunc amorem ut plurimum furiosum esse, nec ferè unquam sortiri exitum bonum: quamvis quandoque hâc ratione ille per venena concilietur secundum *Petr. Binsfeld. de Malefic. pag. 417.* Consentit *Hieronym. Jordan. Tr. de eo quod divin. aut supernat. est in morb. hum. corp. ejusq; curat. c. 23. pag.* 90. quamvis, asserens, aliquando philtra voto respondeant, utplurimum tamen reddunt debiles, attonitos, & mente motos: quemadmodum piscibus accidit, qui non retibus & hamis, sed medicamentis capiuntur. (*Idem repetunt Vier. pag. 386. Delr. p. 372. sect. 2. in fin. Tiraqv. L. c. 14. pag. 207.*) At mihi sufficiat confessio, amorem venenatum dari; frequentiùs quippe accidens, quod vitium secum importat, absolutam rei dabilitatem non tollit, multoque minus efficit, ut res propterea absolutè mala nominanda veniat. Similia ferè [8] de testimoniis Patrum & Philosophorum sapientum atque prudentum docet *Bokel. c.* 10. Si philtris (subjiciens) aliquid inesset efficaciæ, Hippocrates, Plato, Aristoteles, Galenus, Avicenna, Physici ac Medici summi, hujus rei mentionem fecissent. Quin imò Virgilius qui nullius disciplinæ expers fuit, Ecloga Pharmaceutria, Theocritum imitatus, Philtrorum, carminum, ac similium Magicarum actionum nullam esse efficaciam, ostendit: Quod & Servius eodem loco comprobat. Alii quoque Ecclesiastici Doctores, inter quos Epiphanius haud postremum locum habet, scribunt,

bunt, hujusmodi pocula amatoria & incantationes Magicas vanissima esse, & eò tantum spectare, ut fœminarum honestarum castitas facilius cum astu expugnetur & prostituatur, obducto numine divino & signaculo crucis, qui horum scelerum prætextus sunt. &c. Ast, quantum valeat locus ab autoritate desumptus, præter demonstrationem ad *Object.* 7. factam, Ipsemet, puto, quod noverit Bokelius imprimis quod argumentum ab authoritate affirmativè saltem teneat, non negativè, *vid. Nicol. Everhard. à Middelburg. Loc. Topic. ab authoritate. num.* 17. *pag.* 649. Imò authoritatem authoritati in hac Dissertatione oppositimus, prouti ex omnibus fermè ejusdem thesibus constabit. Sed contra hoc iterum excipit *Bokel. in princ. cap.* 10. Clarissimi & Doctissimi Philosophi Sprengerus & Bodinus contra Vierum (quibus jungas, liceat, omnes per totum præsentem Discursum nobiscum facientes) disputant, & in contrariam sententiam inclinant, philtrorum magnam esse vim & efficaciam, idque tantum exemplis pluribus congestis, sed nullâ ratione, probant. At experientia, sine ratione, fallax ac nullius est pretii. Quare videant accuratius, quid dicant, qui sine ratione quid docent, &c Sprengeri locũ quendam allegavi *Thes.* 21. In Bodini tamen confutatione Vierianâ plurima exempla philtratorum vix inveniet Bokelius, cum pauciss imis tantum verbis de hippomane, Jinge, &c. occasione Discursus de Pharmaceutriâ ibidem agat. Nec amplius, opinor, rationem à me desiderabit Bokelius, quam jam per aliquot paginas assertionibus ejusdem adjeci & in sequentibus θ θ. in discussionibus similium Antagonistarum adpositurus sum.

Thesis IV. Cardinale tandem, uti ego quidem arbitror, Bokelii assertum, idque, quoad verba, prolixissimum, *cit. cap.* 4. ita se habet: Inter Singularia est electio, ut habet versiculus: Elige, cui dicas, Tu mihi Sola places. Unam igitur ex pluribus eligit amor, quod fit mentis ac intellectus libero judicio ac liberâ voluntate; electam prosequitur, ac frui eâ laborat animus. *Quem quidem appetitum, voluntatem liberam & locomotivam coercere rationis potest freno.* Neque pharmacum ullum ipsius voluntatem hîc cogere potest, aut mentis judicium ipsius impedire vel remorari, quo minus inter multa singularia liberè unum eligat. Absurdissimum igitur περὶ ἀφιλόσοφον est, herbis, pharmacis, figuris ac ceremoniis ludicris electionem

& voluntatem humanam cogi posse adfirmare; vel actionibus, quæ pendent à voluntate humana, pharmacis vim & efficaciam aliquam tribuere, & hominum adfectus ac mores pharmacis informare ac instituere velle, vel eandem iis astringere, qui ab integro hominis temperamento vel maximè dependent, ut docet Galenus, animi mores sequi temperamentum totius, *hæc Bokel.* Plura in hoc, tanquam farragine & complurium confusè traditorum acervo, reponenda veniunt: in tantum enim hic se ἀφιλοσόφον gessit Bokelius, ut ferè pigeat manum admovisse. Quæ enim consequentia est (α) inter singularia est electio, quæ fit mentis libero judicio, ita quidem ut liberâ voluntate rem electam prosequatur, ac eâdem frui laboret amans; Ergo per philtra amorem venenatum causantia appetitus sensitivus concupiscibilis non potest cogi; & per consequens, ineffrenatè & exorbitanter se habens, non potest voluntatis directorium recusare, imò profligare atque præcludere? Quid? putatne Bokelius, amorem per intellectum aut voluntatem fieri? non præsumerem hoc à tam experiente Doctore, nisi etiam idem reperirem adstrui à *Castrensi, l. c. pag. 220.* amorem scilicet à ratione primum procreari. Amor enim per appetitum concupiscibilem causatur, cujus genuinus est affectus, & per voluntatem, nisi per aliud impediens ejus sanctio præcludatur, dirigitur ac determinatur: Quare à principio *causatum dirigente* ad principium *rem causans* non valet consequentia. Ex his sequitur (β) falsum esse, semper hominem, amore venenato extremè affectum, *appetitum, Voluntatem liberam & locomotivam* (liceat modò vulgariter & absque ullâ ferè subtilitate cum Antagonistâ loqui, qvum mihi *facultatem animæ rationalis*, voluntatem scilicet, quam hic dicit cogi, cum *facultatibus animæ sensitivæ* hoc in loco ineptè confundat) *coercere rationis freno posse.* Nec si reverà philosophicè loqui velim, video, quomodo Voluntatem ab animâ rationali cogi posse dici queat: Voluntas siquidem est illa pars animæ rationalis, mediantè quâ dirigit: idem autem, quà est idem, in dirigendo per modum potentiæ activæ & passivæ se habere nequit. Ergo Voluntas *Bokelianâ*, ab animâ rationali dirigendus, nihil aliud erit (informabis me Lector, si cubi hæsitavero, lubentissimè obsequentem) quam appetitus sensitivus. (γ) Ex hoc elicio, non satis ponderasse, ne dicam intellexisse, *Bokelium* maximam partem JCtorum, quos imposterum allegaturus sum, qui neuti-

neutiquam ſtatuerunt, philtrum, absque concurrentiâ aliorum ſenſuum, plenum & numeris omnibus abſolutum amorem comparare poſſe, ut potius ad nauſeam usque repetitam *cauſam* philtrationis *ſolitariam* cum reliquis *conſociis* combinare voluerint. Uno verbo: confiteor *Bokelio & Rejes, pag.* 355. atque lubentiſſimè amplector, Electionem & Voluntatem humanam per philtra cogi non poſſe, *in actu ſcilicet elicito*, intrinſecè & moraliter: notum enim mihi eſt axioma Ethicorum & JCtorum *in l.* 21. *§. pen. ff. Quod met. cauſ.* coactam voluntatem nihilominus voluntatem eſſe, *add. Dn. Freud. Qu. Conſc.* **von Zauberey.** *l. c. Dietherr. ad Beſold. Theſaur. Pract. verb.* **Lieb-Tränckle in.** *pag.* 592. ubi: **Lieb mag nicht gezwungen werden.** *Non extorquebis amari.* Aſt nihilominus ſubeſt hic coactio qvædam *in actu imperato* & civilis, ſive legibus poſitivis improbata affectuum commotio, qvibus aliàs non adeò reluctantibus, nec, per modum tumultuariæ plebis magiſtratui à Deo præpoſito, impetuoſè contra vociferantibus, voluntas dominari debebat: dum philtratus [qvi ex libertate politicâ promiſcuè ſe gerere poterat ad amandum vel non] modò vitæ & ſanitati ſuæ conſulere velit, non rarò affectibus ſuis adſtrictiùs inhærere & ſubjectum aliqvod amore proſeqvi cogitur, qvod, ni venenum accesſiſſet, miſſum feciſſet & indifferenter habuiſſet. Meritò igitur hoc, quod vi quâdã compulſivâ, privatâ & extra judiciali; Item vi turbativâ in alterum committitur, partim reſcinditur, partim ex poſt facto nullio momenti judicatur. Feliciora proinde ſunt, qvæ *l. c. Idem Caſtrenſ.* in amoris deſcriptione reliqvit: qvi alterum vehementer amat, omnium aliarum rerum delet memoriam, qvia amor hominem à ſemetipſo prorſus alienum & amatæ perſonæ addictum facit, melancholicum, voluptates fugientem, ſolitudinem perſeqventem, animi cruciatibus plenum, curis undiqve circumſeptum, cogitabundum, ſpe viventem, deſperatione ſtimulatum, ſuſpicionibus afflictum, Zelotypiæ telis confixum, ita ut amoris cauſâ amantes vivendo moriantur ac moriendo vivant, qvaſi incantationibus à ſe alieni, unde philtris ementati eſſe exiſtimantur: qvi enim alterum impotenter amat, ſui ipſius nullam prorſus habet curam, quod qvidem ab omni ratione & judicio prorſus alienum exiſtit: nam, cum ſit caritas quædam, à ſe ipſo debet exordiri. Meritò igitur, cum amor poſt ortum ſuum ratione privetur, cœcus depingitur: & quia pulchrum appetit ſub ratio-

ne boni ac digni, idcircò Veneris formosissimos oculos habentis filius esse fingitur : nudum præterea eum faciunt, quia vehemens amor propter impatibiles animi cruciatus, nec ratione dissimulari, nec prudentiâ occultari potest, quâ, quia destitutus est, puerum eum esse prædicant: alatus formatur, quia celerrimè in animos se se insinuat: Sagittas ipsi attribuunt, quia è longinqvo jaculatur, & cor ipsum tanquam proprium scopum feriendum sibi proponit, & quia amoris & sagittæ vulnera quam simillima sunt, profunda nimirum & gravia atq; curatu difficilia, &c. *add. infr. thes. 71.* Minus interim legitimè præmiserat *Castr. pag. 216.* & procul dubio exEodem parili infelicitate Discursum suum continuat *Rejes, pag. 355.* ubi volunt, voluntatem, propter arbitrii libertatem, nullis verbis aut magicis artibus cogi posse ; objectum enim juxta eosdem solum sensum movet, sensus intellectum & is appetitum ; sed venereum præcipuè, si ætas & cætera respondeant. Ast paulò aliter res se habet : objectum quippe movet sensum, appetitum sensus, non verò intellectus aut voluntas, sed potius *motum*, nisi extrinsecus obruantur, conjunctim determinant.

Thesis. V. Multo sanius, *Bokelio*, cornu inflat *Martin. Delrio, Disquisit. Magic. l. 3. p. 1. Qv. 3. Sect. 2. pag. 366.* sequenti modo opinionem suam inducens : Dico *primo*; hisce philtris voluntas nullius cogi potest, ad quem non vult amandum ; Sed benè potest imaginatio perturbari, humores concitari, & totum corpus interius quasi accendi, adeò, ut quis, Dæmone variis tentationum illecebris interius certante, œstro quodam libidinis vexetur, & sic vehementer trahatur ad desiderium carnalis copulæ *cum aliquâ in genere*, quod si tum temporis maleficus amator accedat, & artibus, quibus solent mulierculæ capi, eam instanter urgeat, vel Dæmon de illo uno tam assiduè memoriam & phantasiam moveat, exhibendo speciem circumstantiarum, propter quas amore dignus videatur, & subtrahendo eas, quæ indignum redderent; facilè fit, ut in nassam præda cadat. Atque hæc est ratio & modus, quo per ista Diabolus solet decipere; *Vulgus autem nequit distingvere inter actiones voluntatis & motus concupiscentiæ impetusque portionis inferioris.* Unde non oportet credere iis, qui, quæve causantur coactionem voluntatis, verè enim nolendo volunt, & vellent abstinere, sed volunt peccatum committere. &c. Hoc usque *Delrio*, Cui iisdem ferè, verbis applaudunt *Hieronym. Jordan.*

Jordan. in Tr. de eo, quod divin. aut Supernat. est in morb. hum. corp. ejusque curat. c. 23. p. 89. Roderic. à Castro l. 4. c. 11. pag. 221. nisi quod hic pro ultimis voculis: *volunt peccatum committere*: substituat: *nolunt carere voluptate*: Et pergat: Majorem inducit admirationem, quanquam cruciamenta amoris sæva & intolerabilia sint, eis tamen amator liberari nec desiderat, nec procurat: imò si quis salutare consilium dederit, pro acerrimo habent inimico, qui amarissimam amoris dulcedinem degustarunt, & ipsius blandū venenum recusare nesciverunt &c. Tametsi citati *Dd.* loqvantur de venenatione amoris Dæmoniacâ, nihilominꝰ, propter identitatem rationis, de quovis philtro & medicamento venereo, si modò verum fuerit, licet intentionem suam non obtinuerit, intelligi possunt. Præterea qvanqvam in prædictis *Delrione* & *Castrensi* probem (1) tanqvam antea θ. 4. concessam & mecum facientem distinctionem inter coactionem voluntatis & appetitus sensitivi (2) agnitam necessariam combinationem causæ solitariæ cum sociâ, qvam specialiter introducunt in operatione Diabolicâ, de qvâ *Thes.* 1. & 4. dictum; Illi tamen similiter in eo cum *Rokolio* à me discrepant, quod solummodò concedant desiderium carnalis copulæ per philtra, imprimis diabolica, singulatim agentiâ excitatum cum aliquâ personâ in genere, quod ex doctrinâ Sympathiæ (quam hactenus, tanquam qvid absurdi continentem, respectu appetitus sensitivi ex toto firmiter refutatam non vidi) aliisq; fundamentis supra aliter docui. Quod attinet *in* θ. 1. allegatum §. 1. *Constit. Neapol.* cujus qvoq; meminit *Wierus de præstig. Dæmon. l. 3. c. 39. pag. 384.* meritò Commentator ejusdem *Matth. de Afflict. loc. alleg.* judicium suum, ne fortè injuriam ei feciſſe, aut aliam vim intulisse videatur, suspendit; Aliter procul dubio pronunciaturus (uti & actu dixit in aliis hujus *rubr.* titulis) nisi (ut *Bartolum præfat. ad ff. num.* 14. *pag.* 8. in proverbium deducam) fuisset in terris amicis Ecclesiæ, hoc est, nisi ipsum Legislatorem, intuitu reformationis suorum verborum, offendi credidisset. Audi ejus epicrisin: Quartò nota ex textu ibi: *frivolum & fabulosam*: qvod Imperator reputat hoc frivolum & fabulosum, & sic non verum, qvod poculum amatorium possit facere pervertere sensum ad amorem vel odium, nisi concurrat amor heroicus: sed ille, qvi legit libros Medicorum, poterit scire, si reperiuntur res noxiæ ad pervertendum sensum & intellectum, & ad amorem & ad odium, *&c.* Hæc *Afflict.* Ego, qvi supra

pra ſaniores Medicos cum dictato rectæ rationis & experientiæ conjunxi, de dabilitate hujus poculi non dubito, tametſi; ejus effectum ex variis cauſis aliqvando impediri, nunqvam ibo inficias.

THESIS VI. Aliter mei amoris venenati dabilitatem impugnat *Nicol. Hennel. ab Hennenfeld, in Otio Uratislav. cap.* 21. *pag.* 145. hoc modo inſurgens: De Philtris ſive Poculis amatoriis multa Græci paſſim ac Latini: Sed qvibus tamen, an Amor reverâ conciliari poſſit, haud immeritò quæritur. Sic verò Vulgus exiſtimat: ac de Mandragorâ id præcipuè tradit, qvam & Circæam propterea vocari nonnulli volunt. Et hinc fortè, qvod de poculo hujusmodi amatorio ageretur in Mandragori Zomeno, titulus factus Comœdiæ eſt, cujus non ſemel meminit *Athenæus*. Notum quoque eſt, quid de Hippomane, à furore equi dicto, (hînnientium dulcedines haud ineleganter appellat ſive Lælius, ſive Lævius, cujus de Philtris verſiculos recitat *Apulej. in Apol.*) *Virgilius.* 3. *Georg.* & 4. *Æneid. Lucanus. l.* 6. *Plinius lib.* 8. *cap.* 42. & *lib.* 28. *cap.* 11. aliique Auctores tradant: nec minus celebrata antiquitus in his ſacris Jynx, avis, à veneficis quondam ad amoris ardorem accendendum ſingularis efficaciæ habita, ſi alis pedibusque ad rotam alligaretur, quam certis ἐπαοιδοῖς admurmuratis circum agebant: unde quidem Pindaro Pythionicarum Ode quartâ μαινὰς ὄρνις ad ellata fuit. Quem ad locum Scholiaſtes, λαμβάνουσαι, inquit, αἱ φαρμακίδες τὴν ἴυγγα, δεσμεύουσιν ἐκ τροχοῦ τινος, ὃν περὶ ῥομφοῦσιν ἅμα ἐπάδουσαι. Οἱ δὲ φάσιν ὅτι τὰ ἔντερα αὐτοῦ ἐξελκύσασαι καθάπτουσι τῷ τροχῷ. Et addit *Idem* fabulam, fuiſſe Jyngem filiam Echus, ſecundum alios Pithus, quam à Junone, propterea quod animum Jovis erga Jo inflammaſſet, in avem hanc converſa fuerit. Unde adhuc ei vis quædam illecebroſa inſit. Factum certè in idem, ut quamvis cupiditatem impetumque & ardentem amorem, ſive honeſtum ſive inhoneſtum, cujus præſertim cauſa non cognita, eo vocabulo Græci exprimant. Cujus rei exemplum habes apud eundem Lyricorum principem, Nemeonicarum Ode quarta: ἴυγγι δὲ ἕλκομαί ἦτορ: eaque indubiè adagii occaſio, *Jynge trahor*, wann einen der Agtſtein zeucht / ut loquitur Dircæi illius cygni doctiſſimus Interpres Eraſmus Schmidius. Plinius Cœcilius, diligentiſſimus rerum mirandarum Scriptor, vanitates hujusmodi ſæpe irridet: Et nugas has quorundam ipſemet Harmenopulus ſcribit, *add. Scip. Gentil.*

til. Comment. in Apol. Apul. num. 351. & seqq. Joh. Lang. Epist. medic. lib. 2. c. 59. Hactenus *Henelius*, cui, quoad Jyngis descriptionem, similia jungi possunt, quæ ex Suida proferunt *Petr. Gregor. Tholosan. Syntagm. Jur. universi. l. 34. C. 12. n. 3. pag. 671. Tiraquell. leg. Connub. 14. n. 4. pag. 206.* Sed hic Autor refutari poterit ex iis, quæ *thes. 2.* tradidi : largior quippe, per ejusmodi medicamenta (non enim illa examinare meum judico, ne falcem videar misisse in alienam messem) sæpius nudam Venerem provocari, quod etiam urget *Castr. infr. cit. p. 221. consl. 3.* non verò compassionem aut desiderium speciale ; ast propterea mihi absolutè negari non poterit mei casus assertio, quem, positis omnibus ad agendum requisitis, causisque conjunctim operantibus, suppono. Hinc rursus contra nos nil, sed potius nobiscum facit *Roderic. à Castro. l. 4. c. 2. concl. 4. pag. 222.* quando ita concludit : Elegans forma, morum venustas, blanditiæ & illecebræ ex parte amatæ maximè movent animos amantium, quibus si accedant occulta quædam Sympathia, & ex parte amantis otium, crapula, & sedentaria vita, habebis præcipuam vitiosi amoris causam, atque adeò, ut vulgò dicitur, amore captus animus non eget philtris. Idem (2.) excipio ad exemplum Olympiadis Alexandri Matris, quod *pag. 155. ex Plutarch. de Amor. Conjug. Tom. 2. oper. fol. 141. B.* refert, cujus etiam meminerunt *Bokel. c. 7. Martin. Zeiler. Epist. 3. Cent. 1. pag. 20. Roderic. à Castr. Medic. Polit. lib. 4. cap. 2. pag. 222. Johann. Vier. de Venefic. lib. 3. cap. 38. pag. 385.* Hæc namque, cum Thessalam puellam vidisset, quæ incantationibus pellicere maritum Philippum Macædoniæ Regem ferebatur, ægerrimeque factum ferret, eandem clam domo extractam ad se adduci jussit, ut cum eâ expostularet, vel ut eam custodiæ tradi, aut in longinquas regiones trans mare relegari juberet ; adductam verò, cum eam & morum svavitate & formæ venustate excellere animadverteret, exclamavit mox : Χαιρέτωσαν αἱ διαβολαί, σὺ γὰρ ἐν σαυτῇ φάρμακα ἔχεις : Valeant, inquit, calumniæ, Tu in te philtra habes. Aliter sic dixisse ferunt alii : Hæc est illa forma & gratia, quæ Virum meum fascinavit, ut Deos quoque fascinare posset, *vid. Caspar. à Rejes, Elys. Camp. Quæst. Med. Jurid. Theolog. 29. n. 32. pag. 359.* (qui de uxore quoque Demetrii narrat, quod, visa Lamiâ, scorto venustissimo, sui conjugis pellice, illam in decoro vultu Regis veneficium gestare, eadem cum Olympiade verba pronunciaverit) &

Roderic. l. c. qui simile ferè patrum suorum memoriâ Lusitaniæ Regi-nam tali in casu locutam refert. Idem porrò *Rejes, l. c. & n. 33. pag. 360.* sequentia subdit: Rectè festivissimus *Ovidius*: Valeant Medeides herbæ, moribus ac formâ conciliatur amor. Sit procul omne nefas: ut ameris, amabilis esto. Propterea *Theophrastus* pulchritudinem tacitam deceptionem, aut, ut alii vertunt, silentem fraudem appellabat. *Theocritus* eburneum detrimentum: *Plato*, referente *Brusan. cap. 44. lib. 2.* Naturæ privilegium vocavit; & Carneades rogatus, quid forma hominis esset; Regnum sine satellitio respondit: quoniam formosi impetrant, quicquid volunt, nullâ vi adhibitâ. Hinc *Agesilaus* interrogatus, cur quæ pulchra sunt amarentur, argutissimè respondit: Cæci hanc esse interrogationem, ut legitur apud *Stobæum Serm. 63. de pulchritud. add. August. Niph. de Pulchr.* Non abnuo namque, posse ex aliâ causâ (imprimis benè compositæ vitæ, & aliarum corporis animique qualitatum excellentium) amorem conciliari: ast quæ inde consequentia: Olympias falsò persvasa fuit, maritum philtris à Thessalâ esse constrictum; Ergo Amor venenatus non datur?

Thesis. VII. Alia (3.) profert (quæ tamen diu ante ipsum docuit *Roderic. à Castro in Medico-Politic. lib. 4. capl 2. pag. 222.*) *Hennelius* ex *Afranio in Vopisco* apud *Nonium Marcellum*: Si possent homines delinimentis capi, omnes haberent nunc amatores anus. Ætas, & corpus tenerum, & morigeratio; Hæc sunt venena formosarum mulierum. Mala ætas nulla delinimenta invenit. Quò & pertinet illud *Tibulli, 1. Eleg. 8.* Quid queror heu misero carmen nocuisse? quid herbas? forma nihil magicis utitur auxiliis. Sed quid mirum, hoc sæpè fieri, quod tamen pro quasi absurdo habet *Hennelius*, perturbato tum maximè & impedito, respectu regiminis, in personâ philtratâ rectæ rationis dictamine. Prostat siquidem quotidiana experientia, deformes quoque appeti ab ejuscemodi venenato subjecto, quas tamen, nisi medicamen accessisset, odio plus quam Vatiniano prosecutum fuisset. Agam igitur hic cum verbis *Bokelii*, utpote Collegæ *Henneliani* fatis fidi: Sic autem Ille *cap. 5.* frequentius, inquit, amamus formosissimas, elegantissimas, svavissimas, ac optimè moratas, quod judicio rationis integro facimus, deformesque minus appetimus. Quis enim, ratione præditus, pulcherrimæ ac Venustissimæ Virginis aspectu illicò non commovetur, nisi homo vecors, iners,

mers, stipes ac truncus fuerit ? Accidit nonnunquam, & deformes amari; at non primo conspectu, sed amorem illarum consvetudine quadam quibusdam induci, illecebris quibusdam, vel alias ob causas amore istarum captis, judicioque mentis perturbatis. Nam omnes pulcherrimas semper amamus, dum mentis constat judicium. At si ob amoris vehementiam perturbetur amans, accidit nonnunquam & deformes amari, ut habet versiculus : Quisquis amat ranam, ranam putat esse Dianam; qui posset suppleri *ex Kornmann. de Linea. Amor. cap. 1. pag. 26.* hoc modo : Quisquis amat cervam, cervam putat esse Minervam. Omnis amans cœcus, non est amor arbiter æqvus. Nam deforme pecus judicat esse decus. Novum locum (4.) adjecit *Hennelius pag. 156.* Non pigebit, ut candide cum Ipso egisse dicar, porrò ejus genuina adscripsisse verba : *Andreas Dudithius*, Vir illustris, & illustri magnarum rerum experientiâ cognitus, in epistolâ ad *Nicolaum Taurellum*, non sibi fieri verisimile, ait, ut philtra cuipiam amorem ingenerent. Adfectus enim hic, inquit, ab intellectu & voluntate in nobis, in cæteris animantibus à naturæ instinctu atque intelligentiâ illâ non errante (quamvis etiam in nobis omnia illinc) proficiscitur. Nulla me cogat herba, nulla φαρμακία, ut vel amare vel odisse quemquam velim. Hæc *Dudithius*: quem ex naturâ potius & veritate, quam omnibus in rebus atque disciplinis studiosissimè indagavit, quam ex vulgari sententiâ, & receptâ etiam inter doctos opinione, sic scripsisse *Scipioni Gentili dict. loc. num. 347.* visum fuit. Hæc *Hennel.* Atqui in hoc idem *Dudithio* regero, quod *supr. th. 4. lit. a. & b. Bokelio* reposui. Amoris etenim affectus perinde in nobis, uti in brutis, ab animâ sensitivâ oritur, ac hoc jus cum brutis commune agnoscere debemus (ut benè notavit *Thom. Boz. de Jur. Nat. & Divin. Eccles. libert. & potest. l. 6. cap. 1. pag. 552. ex Thom. Aquin. 1. 2. qu. 94. artic. 2. pag. 295.* contra tædiosos Juris Theoreticos, in quæstione hac: an Jus Naturæ cadat in bruta?) sed per intellectum & voluntatem dirigitur, in quo hominis notissima à brutis differentia consistit : jam verò sæpius dixi, diversissima esse, *principium causans & causatum dirigens.* Quapropter ubi per venenum prædictus appetitus nimium reperitur alteratus & commotus, non potest non evenire, ut noster affectus Sympatheticus generetur & adsit.

THESIS IIX. Nondum ab *Hennelio* me liberatum video, cum (5.) citata *pag.* 156. *in fin.* aliud testimonium Medicum in scenam producat: quia, subjicit Ille, Artifici in arte suâ credendum, atque adeò juxta *Horatium*, 2. *Epist.* 1, quod medicorum est, promittunt Medici, operæ pretium fuerit cognoscere, quid hac de re τερετίζει ille *Mercurialis*, præcipuum, dum vixit, fulcrum & firmissimus Atlas Italicæ eruditionis & ex illâ famæ, ad *VVenceslaum Raphanum*, Medicum Oppavienſem, scripserit: De Philtris, quæ ad conciliandum amorem mirificè conferre antiquitas credidit, mea sententia est, neque illa existere, nec medicorum prudentium contemplationi subijci. Amor amore conciliatur. Sit procul omne nefas, (ait *Ovidius*) ut ameris, amabilis esto. Et quod docet *Plato* in Lysia, similitudo animorum, studiorum, ætatis est potissimum amoris philtrum, ut etiam actiones & vita honestè composita, de quibus loquens *Lucretius* scripsit: Nec divinitus interdum, Venerisque sagittis deteriore fit ut formâ muliercula ametur. Nam facit ipsa suis interdum fœmina factis, morigerisque modis, & mundo corporis cultu, ut facilè insvescat secum vir degere vitam. Quod superest, consvetudo concinnat amorem. Et quanquam ab *Aristotele IIX. de histor. animal.* relatum sit, Hippomanem putatum fuisse ad amorem comparandum pertinere, id tamen ex insani vulgi sententiâ, non suâ, protulit. Verba alterius hoc vel illo modo prolata scio gravissimos medicos, quod morbis tollendis prosint, existimasse. Eadem quoque autoritate alios promotos, quod odium tollere & amorem conciliare queant, putasse. Verum nugas & superstitiones eas omnes *Galenus* opinatus est, cum nullâ ratione nitantur. Pocula verò aut pharmaca esse, quæ similiter, ut morbos, odium conferant, ac amorem perinde, atque sanitatem, concilient, asserere fortasse possumus, cum perspectum sit, homines hilariores atque ad amandum propensiores evadere, quando calent: esseque medicamenta non pauca & corpus & animum calefacientia. *At duo sunt, quæ ipsorum vanitatem & vitium produnt. Unum quod nequaquam erga hunc magis, quam erga illum amore inducere queant, ut in amatoriis philtris ante alia requiritur. Alterum, quod plerumque pro amore insaniam, atque etiam mortem inferunt, quando in historiis legitur, multos ex epotis pharmacis amatoriis*

riis dementatos atque extinctos, veluti Lucretium, Lucullum, & Caligulam, eoquod poculo ejuscemodi caliditate eximiâ cerebri temperiem destruxerunt. Hactenus *Mercurialis* : qui, quod sub finem addit de potionatis quibusdam, quibus amatoria medicamenta vel in furorem vel in ipsam quoque necem verterint, auctores ejus rei habet gravissimos: adsentientem ad hæc sibi *Nasonem*, cum de arte amandi sic cecinit : Nec data profuerint, pallentia philtra puellis : Philtra mocent animis vimque furoris habent. Hæc ex Mercuriali *Hennelius*; Cujus tamen, si, non verbis, sed realibus respondere debeam, invenio *primò*, totâ die evenire, quod cum suo *Mercuriali* negavit : nimirum, ut aliquis magis amore erga hunc, quam erga alterum, inducatur, prouti possibilitatem casus *thes.* 1. & 2. asserui. *Secundò*, supra, præsertim *th.* 2. multoties victum & concessum est, à causâ per accidens ad causam per se non valere consequentiam : fateor sæpe pro amore insaniam fuisse conciliatam atque etiam mortem illatam, *vid. bb.* 18. 38. *& seqq.* Sed quid hoc ad thema præsens invertendum facit, aut quomodo amoris venenati dabilitatem infringit?

Thesis. IX. De incantamentis, quæ ex superstitioso quodam impetu applicantur, &, per assistentiam astûs Diabolici, operationem aliquam, superioribus non absimilem, edunt, res clarior est, quam ut multis circumstantiis exprimi debeat. Cui enim, ex permissu divino, partes genitales in coitu legitimè & per sacerdotem coram facie Ecclesiæ copulatorum impedire, interque eosdem odium capitale conciliare possibile est, ut testantur *Dn. Petr. Müller/in annul. Pronub. thes.* 33. *pag.* 80. *Dn. PRÆSES, de Impot. Conjug. cap.* 6. *thes.* 4. *num.* 11. *& seqq. pag.* 120. & latè *Dn. Mich. Freud. Qv. Magic.* 185. *pag.* 393. *& seqq.* illi etiam absolutè impossibile non erit, procurare, ad malum suum finem obtinendum, desiderium ejusmodi illicitum, per quod sibi fidentes aliosque securos mundanos in ignem secum rapiat inextinguibilem. Hoc quoque negare non potuit *Hennel. l. c. pag.* 158. dum ita discurrit : Neque verò quisquam, puto, saniorum erit, qui aliud habeat dicere: nisi cum hâc fortassean limitatione, ut minimè diffiteamur, affectus hujusmodi per pocula illa induci posse Dæmonum ope, qui humores sic aptare queant. Quod ipsum tamen altioris indaginis, ac siquidem in quæstionem illam incidit, ad Theologo-

rum subsellia pertinentè, quam vim in animas humanas Angeli mali obtineant, haud quaquã à nobis temerè adfirmandũ, &c. Ego non opõ habeo ad castra Theologorũ præcisè confugere, cũ res decisa sit per ea, quæ nolens volens confiteri cogitur *Bokel. cap. 9.* dum causas nõ semel atq; iterum ad amorem venenatum conjunctim facientes proponit tali ratione: quando mens humana & Diabolus in unum conspirant actum, & Diabolus humanis se miscet spiritibus, absurdissima animo concipiunt & volvunt, eaque imaginatione falsâ attentant ac moliuntur, quæ à ratione prorsus aliena sunt, iis mediis videlicet, quæ ipsis proponit, & ingerit Diabolus, eos se producere posse effectus, qui minimè ex illis mediis vel causis propositis dependent. Nam alio modo, nobis ignoto, naturali tamen, (quia nihil potest præter naturæ ordinem,) hos causat ac producit effectus. Naturalis enim Magus Diabolus est, naturæque ordini ac terminis astrictus, neque plus potest, quàm ipsa natura, quâ uti Deus ipsi nonnunquam concedit. Et si ingeniosius, quam nos scimus, eâ abutatur, perstringendo humanos sensus, vel actus celeritate, quâ & homines homines mirè fallunt, quidni & ipsos in eâ arte homines excellat? Quanquam verò omnem vim in hâc amoris concilatione Soli Diabolo adscribant *Bokelius, & Castrensis l. c. p. 220. concl. 1. add. th. 16.* nec credere velint venenis, puta herbis, pharmacis, ceremoniis vel artibus magicis, quæ philtrantibus ut plurimum commendari solent, tanquam maximè fallentibus; propterea tamen rei veritati nihil derogatur, neque procedit Syllogismus: Diabolus sæpius in amore promovendo ad homines decipiendos philtris, apparenter saltem non revera quid operantibus, utitur; Ergo philtra planè non dantur, nec iisdem aliquis potest tribui effectus. Ut proinde iterum nihil faciat Orator *Bokel. l. c:* subsequentia jactitans: Diabolus, qui ordinis divini, imprimis naturæ hostis est, connexum necessarium causarum & effectum perturbare, confundere, acinvertere astutè studet, dum falsò effectus causis non-causis tribuit, hominumque mentes eò inducit suo astu, ut, relicto vero causarum ordine, qui divinus in naturâ est, fallaciis suis ipsas implicet, & rerum causas in naturâ confundat, ut spiritus est omnis ἀταξίας & confusionis in naturâ, mendaciorum ac falsitatis princeps ac Dominus, contra Dei immotum ac constantem naturæ ordinem qui omnia molitur. Regnum enim ipsius, in Mendaciis, & rerum destructione ac confusione constitutum, Dei immotæ

ve

veritati maximè contrariũ & adversum est. Ideò verum falsum, ac falsum verum esse hominibus frequentius persuadet. Spiritus equidẽ est aëreus, aëre ipso tenuior ac subtilior, qui hominum Spiritibus animalibus sese miscet, eos denique perturbat, falsas ut imaginationes mente pro veris concipiant, quas Magicis suis actionibus astutè firmat fidem ut ipsis habeant, à Dei ordine deficientes; qui etiam veritatis omnis Deus, & autor primus ac conservator perpetuus, ob sui ordinis & veritatis suæ negligentiam & contemptum impium, sinit malos labi, ac in reprobum eos tradit sensum; Diabolo falsario, mendaci ac homicidæ magis ut credant, & in superstitioso Diaboli cultu ut confirmentur, qui ex uno in mille ipsos ducit errores miris suis technis, mille ac malè artifex. Idem ipsis de philtris persuadet, hominum mentes, affectus, voluntatẽ ac locomotivam illis cogi posse ad amores illicitos, raptus, adulteria, incestos concubitus, aliaque flagitia nefanda, quæ philtris excusari & veniam mereri posse quidam adfirmant. Hoc pacto ipsos dementando falsum pro vero, malum pro bono, ac inhonestum pro honesto ipsis venditat impostor ille nefarius. *Et paulo post*: commovere (Diabolus) animum amatæ in amantem variis modis ac technis potest: Maximè verò, si amans fiduciâ Philtri exhibiti liberius accedat ad eam, alloquatur eam, cum eâ conversetur, omnibus modis placere studeat amatæ, accidit animum ipsius affici, quantumvis antea fuerit pudicus, obsequiis amantis, cooperante Diabolo, qui immundus spiritus est, & impuris cogitationibus ac imaginationibus animos hominum sollicitat. Hinc fit, Philtris nonnunquam exhibitis amorem hunc concitari, non quod philtra amorem operentur, sed quod turpes hujusmodi affectus, amores ac cupiditates Diabolus in animis hominum accendat, quod falsò philtris adscribitur. Atque hoc falsam hanc opinionem de philtris & merè superstitiosam in animis hominum confirmat, & ab ordine naturæ, quo effectus suis veris tribuuntur causis, ad ordinem Deo & naturæ contrarium animos humanos traducit, & verum mendaciis suis invertit, ac simul turpissimi amoris flammis eosdem accendit & stimulat. Quia non minus potestatis malus Spiritus in animos humanos se habere vult videri, quã Spiritus sancto in animos bonorum, qui castorum motuum ipsis causa existit. *&c.* Hæc, speciosè profectò, blaterat *Bokel.* & satis probabiliter. Ast mitior mihi videtur *Martin. Delrio Disquisit. Magic. l. 3. part. 1. qu. 3. sect. 2. pag. 366.*

mul-

multa, innuens, pharmaca sunt, quæ vim habent naturalem turbandi humores, irritandi semen, excalefaciendi totum corpus: & si nullæ res tales invenirentur, posset Dæmon rebus, quibus vellet, uti, tanquam *signis conventis*, & deinde juxta pactum, ipse per se & turbationem, & flatulentiam, & pruritum, & calorem in corpus inducere, simulque personæ certæ importunam suggestionem imaginationi, quasi valdè dignæ amari, objicere; & sic in hujus amorem inflectere posset, sed volentem tantum. Plura ad hunc discursum *Delrionis* spectantia *vid. supr. thes. 5.* Imò quid felicius Diabolo obvenire potest, quam si quis alioquin minimè amorem cogitans (posito quod remedia Sympathetica planè non dentur) primitus nimium quantùm per medicamentum ad venerem incitetur, ut ita postmodum illi artem suam persuasoriam eò feliciùs applicare queat; tunc enim nec philtra per se agunt, nec Diabolus per se amorem excitat: interim ex utriusque conjunctione res suum obtinet vigorem. *Joh. Michael. Dissert. de Morb. ab incant. & Venefic. oriund, th. 32.* nulli ambigimus, inquit, accedente Dæmonis auxilio, hominem, alioquin volentem, (venerem exercere) & omni libidine impurum hisce illecebris ubique illaqueari, & peculiari concubitus œstro ac inquietudine vexari posse. Nescio igitur quid sibi velit *l. c. Bokel.*

Thesis X. Confirmat aliàs hæc de jam traditâ philtratione Magicâ *Constantinus Magnus Imperator in l. eorum. 4. de Malef. & Mathem.* quando scientiam eorum puniendam & severissimis meritò legibus vindicandam æstimat, qui, magicis accincti artibus, aut contra salutem hominum moliti, aut pudicos animos (non amicos, ut perperam putat *Vierus, de præstigiis. Damonum, l. 3. c. 38. pag. 383.*) ad libidinem detegentur deflexisse (non coiisse, propter quod vocabulum, loco prioris suppositum, *Delrio, l. c. sect. 2. pag. 366.* si Lex Rhemia vigeret, *Vierum* non effugisse frontis inustionem, ipsumque nimis quàm manifestò Imperatoriam sanctionem calumniatum esse affirmat; Verum, attestante meâ *Editione Vierianâ Basil. de ann.* 1583. modò citatâ, *Vierus* eodem, quo *Delrio*, vocabulo usus est; hinc falsum quoque erit, nî aliud ex aliâ fortè Editione producatur, quod *Delrio* Eidem imputat, meritò jure retorsionis puniendus. Quid si dicamus, ne quidem voculam: *deflexisse*: quam habent *Florentina & Haloandri* exemplaria, satis propriam, sed à Triboniano, contra veri-

veritatem *Codicis Theodosiani*, pro: *defixisse*: substitutam esse? Est enim defigere magis proprium, ut multis Autoritatibus *Godofred infr. cit. pag.* 118. ostendit) Hujus etiam Constantinianæ legis mentionem facit *Cardinal. Baron. ad A. C.* 321. *n.*16. *pag.* 286. eamque subobscuram vocat, adeoque interpretandam ex *l.* 3. *Codic. Theodos. h. t.* quod ego, sensum literalem cata poda (ut cum Justiniano loquar *in l.* 3. *§.* 21. *C. de J. V. E.*) secutus, non video, nec facilè videbit quilibet ex parte vel minimâ sanus, *add. Jacob. Gothofred. ad cit. l.* 3 *Codic. Theodos. pag.* 117. Nisi forsitan in *l. c.* versiculum: *nullus:* cordi habueris, quem *in Basilicis, lib.* 60. *tit.* 39. *c.* 30. non inveniri, sed ex iisdem, eò quod iniquus sit, rejectum fuisse docent *Godofred. l. c. cum Balsam. ad Photii Nomocan. tit.* 9. *cap.* 26. *& Gloss. h. l. pag:* 2125. quod tamen iterum menti *Baronianæ* non convenit, urgenti saltem dilucidam antiquam interpretationem *Theodosianam*, quæ ita se habet: *Malefici, vel incantatores, vel immissores tempestatum, vel hii, qui per invocationem Dæmonum mentes hominum turbant, omni genere pœnæ puniantur.* Tulit autem eandem legem *Constantinus* M. *Ann. Chr.* 321. Aquilejæ, Crispo & Constantio Cæs. Consulibus, quamvis hic non immeritò *Baron. l. c.* pro *Constantio* Constantinum subijciat, cumque Eodem conspirent *Fasti Consulares*; utut Editio communis etiam Constantii mentionem faciat, eamque sequatur *Codex Theodosii* cum *Jacob. Godofred. l. c.* qui Eum Constantini M. filium vocat, in quo non errat; fuêre enim Constantinus & Constantius Constantini M. filii: sed interim nomina confundi non debent contra omnem fidei Historicæ veritatem. An verò hæc lex legitimè inscripta fuerit ad Bassum *Pf. U.* an verò *ad P. P.* ut vult *Godofred. cit. pag.* 117. exinde, quod nec vetus notitia Præfectorum Urbis hunc hoc anno commemoret, ego hac vice non disputo. Iterum quidem ad Legem Constantini excipit *Bokel. c.* 7. Imperatorem refutaturus, tali discursu: Constantinus Imperator, etsi primus huic rei fidem fecisse & posteris id reliquisse videtur, tamen *δευτέραι φερνίδες τοῦ φωτὸς ραι*, & posterior ætas videtur aliquid semper derogare priori. Nec unius Imperatoris leges cæteris omnibus derogant. Etenim experientia, quæ allegatur, pro nobis magis facere videtur; siquidem sæpius furorem, quam amorem, philtris inductum pluribus fuisse legimus. Scimus etiam, sæpius alias causas amoris fuisse, ac alios latuisse, quæ philtris adscriptæ fuêre. Sed, uti per totum

suum Discursum, ita in hoc specimine contradictorio purum putum, ut sic loquar, accidentalem se gerit *Bokelius*, dum hîc ingeminat consuetum suum vocabulum *sæpius*. Maximè interim debilis est consequentia: *Sæpius* furor, quam amor, philtris inductus est; similiter: *Sæpius* philtris falsò adscriptus est effectus amoris venenatus: Ergo amor Venenatus, ad tædium ferè repetitâ causâ socia concurrente, non datur, *add. Alberic. in rubr. de hæretic. Colum. 3. Joh. Accurs. ad Nov. 6. cap. 5. verb. propter quædam. pag. 59.* Affert præterea contra me duos Poetas Virgilium & Propertium *Vier. l. c. pag.* 385. in verbis: *Virgilius* quoque tentatur, magica carmina nihil huc facere, cum Amaryllidis verba describit: His ego Daphnim aggrediar, nihil ille Deos, nil carmina curat. Ubi Servius id etiam annotavit. *Propertius* item *l. 2. Eleg.* 1. hujus est sententiæ, cum inquit: Seu mihi sint tangenda novercæ pocula Phædræ, pocula privigno non nocitura suo. Nam loquitur de poculis amatoriis, quibus Phædra Hippolytum privignum in amorem illicere tentavit, at nihil ea profuêre, &c. Hæc *Vierus*. Verum ad hæc loca duo iterum reponere habeo, & quidem *primò* ad versus *Virgilii*, ubi arbitror Poetam à priori non sermonem facere de eo, an carmina Magica, concurrente Diabolo, ex vi pacti generaliter quid operentur; Sed an Daphnis, Deorum contemtor, illa curare voluerit, adeoque Diabolus, ut causa socia, ad effectum amoris Daphnici cooperari constituerit? Ad *secundum* Propertii locum itidem dicendum, Phædram, respectu philtrationis Hippolyto privigno applicatæ, non obtinuisse effectum amoris sperati. Ex hoc tamen non statim sequitur, amorem venenatum per magiam conciliari non posse; adeoque uterque *Vieri* locus nihil probat. Convenientiùs *Vierus* allegasset *Ovidium*, *l. 2. de art. amand.* Fallitur Aemonias si quis decurrit ad artes, datque, quod à teneri fronte revellit, equi. Non facient, ut vivat amor, Medeides herbæ, mistaque cum Magicis mersa (Marsa) venena sonis; Quos etiam versus adduxerunt præter *Vier. l. c. pag.* 381. *Bokel. c.* 10. *Roderic. à Castro, Medic. Polit. l. 4. cap. 2. pag.* 222. & ex Eodem *Ovidio* exemplis citatæ Medeæ ac Circes (quarum utraque rerum magicarum sui temporis peritissima habebatur, & tamen *Illa* Jasonem in sui amorem traducere non potuit; *Hæc* Ulyssem, quem propter ipsius singularem virtutem, prudentiam, rerumque variarum experientiam perditè amaverat, expugnare ve-

venenis non valuit) comprobarunt. Phasias Aesonidem, Circe tenuisset Ulyssem, si modo servari carmine posset amor. Idem insuper *Ovidius*, qui artis amatoriæ perhibetur Magister, quique plures libros de amoribus & arte amandi scripsit, negat pluribus locis, philtris amorem conciliari; & ab iis abstinendum esse, ut à venenis, suadet, ut in *lib. de Medicamentis faciei*: Sic potius nos urget amor quam fortibus herbis, quas Maga terribili subsecat arte manus. Nec vos graminibus, nec misto credite succo, nec tentate nocens virus amantis equæ. Nec Mediæ Marsis finduntur cantibus angues, nec redit in fontes unda supina suos. Sic nec Dido Æneæ animum (ut apud se subsisteret, nec terras alias cum suis sociis quæreret; Secus ut concumbendo secum se exerceret, *vid. thes.* 16.) carminibus aut artibus magicis flectere; nec apud Theocritum in Pharmaceutria Thestilis ullis ceremoniis, figuris aut venenis Delphin in sui redamationem illicere aut domum retrahere potuerunt, secundum Eundem *Bokelium*, *cap.* 7. Verum ad hæc & similia jam dum responsum est, tum maximè, si quis cordi habuerit, spiritum immundum in filiis hisce incredulitatis, ad augendam forsitan superstitionem, & sui majorem cultum excitandum, aliquando in ante traditis casibus amoris conciliationem studiosè impediviſse. Alias historias comprobantes magiâ Diabolicâ ad amorem inducendum sæpè nihil profectum esse, profert *Dn. Freud. de Venefic. l. c. & qu.* 381. *n.* 4. de Basilio Mago *ex Gregor. l.* 1. *Dial. c.* 4. item de Cypriano, olim adhuc famoso Mago, ex *Nicephor. l.* 5. *cap.* 27. *Herberger. Tom.* 8. *Magnal. Meditat.* 36. *add. Heidfeld. Sphing. cap.* 44. *Danhavv. Theol. Conſc.* T. 2. qui posterior, ad instantiam Studiosi Agladii, amore nimium quantum flagrantis erga Sabinam Virginem Christianam, validum, validiorem, imò tertiò validissimum, ut opinabatur, Dæmonem ad hunc amorem conciliandum sollicitavit, qui tamen omnes, unà cum suis pulveribus præparatis, nihil potuerunt piæ Virgini coactionis inferre *jung. Petr. Gregor. Tholoſan. Syntagm. Juris univerſ. l.* 34. *c.* 12. *n.* 1. *pag.* 671. Sosipatram, viduam Eustathii formosissimam & sapientissimam mulierem, Philometor consobrinus amare cæperat, & ut eâ potiretur, magicis utebatur carminibus. Maximus Sophista, sacris operatus, Sosipatram ab hoc furore, ne manus daret amori, liberavit, *Eunapius in Aedeſio.* Sed ad hæc iterum, ut mox ante feci, respondeo: ab impeditione effectus, ad negationē causæ

non

non validam depromi consequentiam; quare largior, hominem per preces serias posse astum Diabolicum prævenire; interim exinde non sequitur, Diabolum, nî illud ei remedium oppositum fuerit, aut Deus ei naturale modò & concreatum operari concesserit, in se ad decipiendum & nocendum fuisse invalidum. Contrarium omninò docuit exemplum ab *Hieronymo in vitâ Hilarionis* Eremitæ descriptum, cujus etiam meminêre *Wier, l. 5. c. 13. pag. 550. Bodin. l. 3. c. 6. pag. 311. Dæmonoman. Laurent. Beyerlingk. in Magn. Theatr. vitæ human. tom. 5. verb. miraculum. pag. 540. lit. h. Tholosanus, l. c. n. 2. Tiraquell. Leg. Connub. 14. num. 6. pag. 206.* in Gazensis, inquiunt illi, Emporii oppido, Virginem Dei vicinus Juvenis deperibat: qui cum frequenter tactu, jocis, nutibus, sibilis, & cæteris hujusmodi, quæ solent morituræ virginitatis esse principia, nihil profecisset, porrexit Memphin, ut confesso vulnere suo, magicis artibus rediret armatus ad Virginem. Jgitur post annum doctus ab Æsculapii vatibus, non remediantis animas, sed perdentis, venit præsumtum animo stuprum gestiens: & subter limen domus puellæ tormenta quædam verborum & portentosas figuras sculptas in æris Cyprii laminâ defodit. Jllicò insanire Virgo, &, amictu capitis abjecto, rotare crinem, stridere dentibus, inclamare nomen adolescentis. Magnitudo quippe amoris eam in furorem verterat. Μαγικαῖς ἑαυτὸν ἐκδίδωσε τέχναις. Πέταλα χαλκοῦ γίνονται καὶ μορφαὶ τινες δαιμόνων ἐν αὐτοῖς διαγλύφονται, καὶ νήματι δεσμοῦνται λεπτοῖς. ἔπειτα καὶ ῥήματά τινα γοητικὰ ἐγχαράττονται, ἐρασμίους ὡς αὐτὸς ᾤετο, ποιοῦντα, κἂν πάνυ μισούμενος τὶς καὶ ἄσοργος ᾖ. Καὶ ταῦτα ὑπὸ ταῖς φλιαῖς λάθρα τῆς οἰκίας κατοτρύονται τῆς παρθένου. αὐτίκα γοῦν δαίμων τις τῶν φιληδόνων ἐφάλλεται ταύτῃ, καὶ ἅμα ἡλίσκετο τῷ ἔρωτι τοῦ παιδός. *add. Hennel. l. c. pag. 160. ex Martyrolog. Græc. in Hilar.* Magi suis carminibus Phaniæ Porteri Hierosolymitani servo conciliarunt herilem filiam, *Marul. lib. 2. c. 12.* Mahometes pseudopropheta uxorem duxit Eadigam viduam opulentam, quam artibus magicis in sui pellexerat amorem, *P. Diac. lib. 18. Vincent. lib. 23. Zonar. tom. 3. Beyerling. l. c. rubr. in amorem pellicere. p. 541. lit. a.* Apud *Samosatenum Lucianum* in eo Dialogo, qui Philopseudes, Cleodemus Philosophus Peripateticus refert, Chrysidem quandam mulierem vi magicâ in amorem fuisse versam. Apud *Apulejum quoque lib. asin. aur. 2. & 3.*

Pam-

Pamphile, artis magicæ scientissima, ubi scitulæ ac speciosæ formæ juvenem conspexerat, illum incantamentorum violentiâ ad se rapiebat, amorisque profundi pedicis æternis alligabat, *Tiraquell. de Leg. Connub. Gloss. 1. part. 14. pag. 206. n. 4.* Putat quidem *Rejes, pag. 359.* se satis respondisse ad exemplum Virginis Gazensis ex eo, quod Dæmon intra puellæ corpus se se insinuaverit, illasque voces protulerit, non verò puella. Sed nondum mihi satisfactum est, quia qui potest, ex permissu divino, ipsum hominem realiter possidere, illi etiam id, quod minus est, de facili concedi poterit, videlicet ut ejus animam cogat: breviter, quæsitum eò tendit, an spiritus spiritum cogere possit Deo permittente? quod amabus manibus largior & affirmo quicquid in contrariam aliàs docuerit *Bernard. Basin. de Artib. Magic. concl. 6.* Aliud pernicioſum philtrum memoratur à *Francisco Bencio, in literis Ann. 1589.* quem citat *Jordan. l. c. pag. 90.* Romæ excusis, de pio adolescente Genuensi. Hic amore languens, post missa ultrò citroque munera & furtivas literas, idque trimestri spatio, mirum quàm immundas sordes evomuit; crines muliebres, ovium villos, linum, bombycem, acus crinales & sutorias, unguium segmina, ossium fragmenta, & ferramentorum non parvo numero, unà cum sanguine. Cum ægro occultâ voce quâdam innotuisset, arculam amasiæ ab adstantibus quæri, arculæ clavem horrendis clamoribus postulat, & acceptam, eadem voce admonente, injecit in os, voraturus, nisi prohibitus fuisset. Eam deinde pulvino supponit: oculorum usum amittit. Admonet mater, ut doctus malo reddat clavem. Eam cum quærens non inveniret, furto ablatam credidit. Tunc incipit magis vociferari; nec tamen reperta in toto lectulo diligenter excusso. Vi tandem cum arcula esset reserata, binæ literæ amatoriæ inventæ, & igni traditæ sunt. Quo facto restitutus ei sensus videndi, & clavis non sine admiratione apparuit ante oculos quærentis exposita. Melius interim habere cœpit & corpore & animo, & paulo post sanus omninò factus est.

Thesis XI. Posito igitur amorem Venenatum dabilem & possibilem esse, pauca etiam de ejus autoritate apud Veteres docebo. Eam olim propugnarunt *Nicephorus Calistus, l. 5. Histor. Eccles. cap. 27. Theocritus, in pharm. Lilius Gyraldus, Syntagm. 13. de Idol. Gent. Goth. l. 6 Hist. cap. 24.* attestantibus *Rejes, Qu. 19. pag. 354. & Petr. Gregor. Tholo-*

ſan. Syntagm. Juris univers. l. 34. c. 12. n. 1. pag. 671. Sic *Hieronym. Jordan. in Tr. de eo, quod divin. aut ſupernat. eſt in morb. hum. corp. ejusque curat. c. 23. pag. 88.* Theſſala, inquit, philtra ſeu chariteſia Jrenæi antiquiſſimum ſunt machinamentum magicum. Ne Ægyptios quidem Sacerdotes his abſtinuiſſe, ab *Heliodoro, l. 3. Æthiop.* inſtruimur. Marcum Magum S. Jrenæus vocat muliebris pudicitiæ per incantationes expugnatorem: cujus ſectatores etiam Rhodanenſes mulieres dementarunt. Etiam Gnoſtici de philtris curioſitatis, ſomniorum artificibus & aſſeſſoribus Dæmonibus, gloriebantur. Et mox: Moſen & Salomonem annulos amoris & odii confeciſſe, neſcio quâ fide *Joſephus* narret. Multitudinem fornicationum & maleficiorum ſeverè caſtigat Deus in Babyloniis, *Nahum. 3.* nec improbabile eſt illud *Theocriti*, Græcos ab his amatoria maleficia didiciſſe. Plura huc quadrantia evolvendo repperi apud *Jacob. Gothofred. in Comment. lib. 9. tit. 16. l. 3. pag. 118. tom. 3. Codic. Theodoſ.* Conciliatus quoque, inquit *Ille*, amor magicis artibus fuit; vide pharmaceutriam *Theocriti & Virgilii: Porphyrii* confeſſionem apud *Euſebium, 5. de præpar. 17.* & apud *Auguſtinum, 10. de Civit. Dei, c. 11.* vide eundem *Porphyrium de non eſu animal.* & *Originem contra Celſum lib. 7.* videatur & *Arnob. lib. 1. Juvenal. Satyr. 6. v. 609.* vetus inſcriptio: Quos potui, allexi philtris. *Hieronym. in v. Hilarionis: Apulejus:* confeſſa eſt ſeſe meâ magiâ in amorem deductam dementire: *Arnob. lib. 1.* uxoribus & liberis alienis inconceſſis flammas & furiales immittere cupiditates: *Amm. lib. 28.* Marinum & Auſum Hiſpanillæ cujusdam artibus pravis adfectaſſe conjugium ſupplicio lethali damnavit. Ubi artes pravæ ſunt omninò artes Magicæ. Jdem *Ammianus Marcellinus lib. 28. pag. 391.* Anepſia adpetitam ſe nefariis artibus vim in domo Aginatii perpeſſam aſſeveravit: vide & *Aimoinum, lib. 3. c. 51. & Neapol. legum lib. 3. tit. 41.* vide & quæ in hanc rem notat *Burchardi, decretor. lib. 19. pag. 278.* Hæc in genere φίλτρα, quæ & ἔυγδες vocantur *Ariſtænæo, lib. 2. Ep. 18.* ἀγώγιμα dicta apud *Jrenæum lib. 1. c. 20.* *Epiphanium*, in Carpocrationis hæreſi: ἐπῳδαις, διαφόρως πρὸς πᾶσαν μηλανὴν ἀφηύρηντο πρὸς φίλτρα καὶ ἀγώγιμα. Deſiderii poculum, *Horat. Epod. 17.* dixit. Hoc uſque *Godofred.* Ut tamen nihil tibi diſſimuletur, L. B. etiam paucis proponam rationes veterum, per quas amorem venenatum dabilem eſſe ſibi perſvaſerunt; *prima* eſt, quia, ut voluntas ligatur in odium

odium alicujus, ita etiam posse videtur in amorem impelli : nec desunt, qui existimant, posse etiam ligari fures, ne in aliquo loco furari possint: & mercatores, ne in designato emporio negotiari queant, & exercitus ne limites transgrediatur: ligari insuper naves, ne ullâ vi ventorum, pansis etiam velis, portum ingredi valeant: & molendina, ne ullâ vi aut impetu volvi queant: & canes, ne latrent: atque aves & feras à venatoribus ligari, ne volare aut fugere possint; & sanguis, ne fluat. Sed in hoc *partim* legitimè, *partim* minus rectè egerunt à parte meâ stantes: *quoad posterius*, quia sibi imaginarunt voluntatem cogi posse, quod ego cum *Bokelio*, *Castrensi* aliisque *thes. 4.* aliter exposui; *quoad prius*, res in melius ipsis cessit, præsertim quoad amorem & odium magicum superstitiosum, cui Diabolus fert suppetias, *add. th. 23.* *Secunda* ratio convenienter explicari debet; est autem illa, quod multa pharmaca dentur, quæ vim habent naturalem turbandi humores, irritandi semen, & concalefaciendi universum corpus. Sed hæc quoque ut plurimum solam venerem excitant, nisi, sicuti tradidi *thes. 2.* cum aliis causis sociis & suum momentum ad compassionem adijcientibus conjungantur. *Tertia* ratio ita se habet, quia legitur apud *Oseam* Prophetam *cap. 4. vers. 12.* esse spiritus quosdam incentores libidinum atque luxuriæ, dum inquit: Spiritus fornicationis decepit eos, & fornicati sunt Deo suo. Quod autem hoc proveniat à maleficio, *Nahum. c. 3. v. 4.* exprimit dicens: propter multitudinem fornicationum meretrices speciosæ & gratæ & habentis maleficia: & in libro *Baruch*, *c. 6. v. 42.* mentio fit maleficii amatorii sub his verbis: mulieres circumdatæ funibus in viis sedent, *&c.* Sed locus *Oseæ* pro ipsis nihil probat, intelligendus potius de idololatriâ & fornicatione spirituali; Magis confirmat locus *Nahum*, quod, quemadmodum meretrices, studentes maleficiis, procos suos ad se alliciant, ita quoq; Ninive ad se traxerit gentes *vid. Buxtorff. ad h. Prophet. pag. 674.* Jmò adhuc melior est textus ex *Baruch* desumptus, de quo plura dixi *thes. 22. in fin.* Nunc demum ipsum amorem meum delineabo. Est proinde *Amor præsens Venenatus motus appetitus sensitivi concupiscentis, arte operaque hominis vel Diaboli causatus, mediante quo ille, plus minus solito, erga personam sive rem certam animatur, & postmodum ad eandem, tanquam ad bonum sibi propositum imaginatumque, impense tendit ac dirigitur, ad quam alias per naturam se habuisset indifferenter.*

Thesis XII. Divido autem ipsum in *licitum*, & *illicitum*, utrumque enim vocabulum Veneni importat, *l. 3. §. 2. ff. ad L. Cornel. de Sicar. l. 35, §. 2. de contrah. emption. l. 236. de V.S. Bachov. Comm. ad §. de public. Judic. §. 3. pag. 905. Girland. q. 12. num. 4.* De *illicito*, utpote frequentiore, primitùs erit agendum, reservato licito ad *th. pen.* Quapropter *causam ejus efficientem Principalem* Homines constituo, qui medicamentis illicitis aliisque remediis prohibitis proximo negotium facessunt. Sunt verò illi (1.) *generaliter* omnes, qui, ad quodvis scelus aut iniqvum perpetrandum, alterius (superioris licet, paris, aut inferioris) amorem & affectionem *partim* erga se, *partim* erga tertium, per medicamenta aliasque artes profanas & Diabolicas, ambiunt, (2.) *specialiter* & frequentius scortatores masculi & fœminæ, idque indistincte: masculinus siquidem sermo in prohibitoriis ad utrumque sexum regulariter pertinet, *arg. l. 1. ff. de V. S. & l. si quis. 7. §. 1. de Jurisdict. Causam instrumentalem* venena subministrant aliaque incantationum genera sceleratæ libidinosorum concioni notissima, de quibus notabilia leguntur apud *Martin. Delrio, Disquisit. Magic. l. 3. part. 1. qv. 3. pag. 362. Girland. de Sortileg. qv. 3. pag. 383. b. num. 15. & seq.* quæ nobis, circa jus quam maximè occupatis, solùm recitasse sufficiat: Nam examinare cujusvis virtutem specificam, & an Venerem saltem provocet, an verò, si aliis naturalibus ab homine amando desumptis ingredientibus misceatur, quid ad compassionem conferat, inquirere poterit, quicunque velit, horis successivis, sive Botanicus, sive Physicus in genere & Philiater. Sic autem *Delrio* plurima, inquit, philtra veteres nobis commemorarunt, ut in veteribus Glossis *tegularia*, quod super tegulis adolerent philtra Jovi Stygiali, hoc est Plutoni, qui numen illicium ad amorem putabatur, & hæc sacra Stygialia & Cocytice dicta *Virgil. in. 4. Æneid.* de Didone: Sacra Jovi Stygio, quæ ritè incepta paravi. Cocytiorum mentio apud *Horat. in Epod.* ubi Porphyrio dicit cupidinis sacrum, non quod eo Veneris filius invocaretur, subdit enim dicta, quod inferis Diis à Veneficis fierent, sed quia sacrum amatorium. Multa simul complexus apud *Apulej. apolog.* Levius (Lælius legit *Wier. l. c. Cap. 37. pag. 378.*) Poeta: philtra omnia undique eruunt, antipathes illud quæritur, trochili, Iynges (trochisculi, ungves, *Wier. l. c. pag. 379.* fortè ex *Tiraquell. Leg. connub.*

connub. 14. pag. 206. n. 4.) tæniæ, radiculæ, herbæ, furculi. Jpſiplices, bitortiplæ (aureæ ilices, bichorditæ, *Vier. l. c.*) hinnientium dulcedines. Ubi Jpſiplices, ut eſt in Gloſſariis, αὐλόπυλαι Φύλλαι, in Feſto dicuntur Jpſullices bracteæ, in Virilem & muliebrem ſpeciem effictæ, quæ & ſubſilles eidem dictæ. Agnoverunt has & alii Poëtæ, nam de his ſimulacris amatorum eſt illud in *4. Virgil.* Effigiemque (Aeneæ) toro locat. *Theocr. & Virgil. Pharmacent.* Jyngem, quam *Langius* ait à Germanis vocari Windals, Waſſeroths, Ruerdrommel; Latini Frutillam vocant : Hippomanes laudant iidem *Theocr. Virgil. Propert.* Remoram & Sippen *Ariſtot. l. 2. de Hiſtor. animal. c. 14. & l. 9. c. 17.* ranæ quoddam oſcillum *Plinius l. 8. c. 42. & l. 32. c. 4.* Aſtiriten lapidem ex Æſopo : *Heſichius* illuſtrius : Sagittas ex hoſtili corpore Archelaus : Thallum ſeu termitem olivæ *Valer. in Cyr* : alia multa *Lucianus in Dial. Bacchid. & Melittæ* : & ex recentioribus *Marſil. Ficin. l. 13. Theol. Platon. Pomponatius de Jncant. c. 8. & Celius Calcagninus in integro opere de Amatorsâ Magiâ &c.* Tantum *Delrio, l. c.* quocum nomine licet tecto, eadem verba repetit *Beyerlink. in Magn. Theatr. Vit. human. tom. 5. verb. maleficium. pag. 205. lit. c. lib. 11. rubr. amatorium.* Multa quoque habet *Jordan. l. c. pag. 88.*

THESIS XIII. Alia ad hæc quadrantia ſuppeditat *Wier. cit. Tract. c. 37. pag. 380.* Inter amatoria, ſubjiciens, venena connumerantur. in extremâ lupi caudâ pilus, ejusque virga, remora piſciculus, felis cerebrum, & lacertæ ſtellio cui ſtincus nomen : item oſſa de ranâ viridi, in formicarum acervo exeſa : ſiniſtri etenim oſſis contactu amorem, dextri verò diſſidium excitari tradunt; vel ut alii referunt, à formicis obeſa ranæ oſſa conjice in aquam, quorum aliqua aquæ innatant, quædam ſubſident; hæc ligata in albo ſindone, & ſuſpenſa, amorem conciliant, illis contacto homini odium paritur. Aliud experimentum ſimile ex hirundinum pullis; accipiuntur ii unius fœturæ aut nidi, qui in olla conditi, in terrâ ſepeliuntur, ut ſuffocati fame pereant, poſt ex effoſſis, qui hiante roſtro mortui inveniuntur, amori: qui occluſo, concitando ſerviunt odio. Utero hyænæ ſiniſtro lacerto quoque religato, ſi quis mulierem inſpiciat, uſui huic eſſe etiam perhibetur. Componuntur ea quoque interdum ex excrementis, aut animalibus è putredine genitis, aut ex connatâ nobis materie, quæ omen ut illicita meritò mentem potius turbant, mutantque, quam

ad amandum cogunt ; sic menstrui mulierum, præsertim biliosarum & rixosarum, potus, adeò bibentes effascinare inficereque, ut lunaticos & amentes efficiant, creduntur. Habentur & alia philtra, à mortuorum vestibus, candelis, acubus, & iis universim, quæ funerum gratiâ parantur, sumpta, quæ eò libentiùs, quod nugarum plus quam Veritatis habeant, nomino : quemadmodum nativa illa venena nimisque efficacia silentio hic sepelire malui, doctioribus medicis ex sexto *Dioscoridis* de materiâ medicâ & reliquis item Græcorum & Arabum, tum etiam quorundam recentiorum libris atque usu quotidiano nimis cognita. Cumulant hæc Doctorum tradita *Leonhard. Vairus, de Fascino l. 1. c. 4.* ubi solo vestium tactu amorem mulierum allici posse dicit. Et *Cornel. Agrippa, de Occult. Philos. l. 1. c. 48.* docet Amorem conciliari, si annuli sive imagines, sive specula, seu alia per aliquod certum tempus sepeliantur aut abscondantur in lupanari, quo ex loco illo Venereâ quadam facultate afficiantur. Jungamus hisce *Kornmann. de lin. amor. cap. 3. pag. 57.* ex herbis, docet Ille, amatoria fieri, communem Medicorum & Magorum scholam docere, & præcipuè de frutice quodam *Charico-blephaton* vocato, quem miscendis amatoriis efficacem esse scribunt. Idem de Staphylino *Plinius* tradit, qui de herbâ, quam centum capita vocant, sic inquit : Radix ejus alterutrius sexus similitudinem refert, rara inventu, sed si viris contigerit mas, amabiles fiunt, ob hoc & Phaonem Lesbium à Sappho dilectum tradit. Eandem vim Airorum herbam & *Catanancen* Thessalam herbam possidere arbitratur, nec secus de herbâ *phyteumâ* sentit. *Sagittas* præterea corpore eductas, si terram non attigerint, subjectas cubantibus, amatorium esse Orpheus & Archelaus, referente *Plinio*, scribunt. Multa item sunt, quibus amatorium fascinum procurari existimatur, ut mineralia, lapides, metalla, herbæ, plantæ, arbores, animalia : quæ singula enumerare, stomachum potius facerent, quam fructum afferrent. Quid efficere potens Diasatyrion, itidem boleti cervini, Zibetum manus inunctum, indagandum expertis relinquo, & sunt piscium sive potius terræ excrementi genus quoddam, Itali capelongi vocant, capedonti, caparoli. Ostreæ item Veneris irritamentum summum, ob idque etiam summè ab Italis Venereis amantur & si quæ sunt alia, de quibus consulantur *Joh. Jacob. Weckeri Medici Colmariensis (lib. 4. pag. 79. & seqq.)* secreta. Hucusque *Kornmann.*

mann. Plura in ſubdiviſionibus amoris venenati recenſebo, *add. theſ. 7. & ſeqq. item Tiraquell. l. c. pag. 205. n. 2.* qui omnia ferè *hâc theſ.* tradita repetit, aliaque citatis novis *Auctoribus* adjecit. De medicamento ex Affione confecto, quo Chinenſes in Bataviâ promiſcuè ad incitandam libidinem utuntur, *vid. Joh. Jacob. Saar, in Itin. Ind. Orient. c. 2. p. 12.* De Inſtrumentis Diabolicis impræſentiarum brevis ero: Carolus Bovillus, (inquit *Tiraquell. l. c. pag. 206. n. 6.*) Vir certè multis nominibus commendabilis, in quadam Epiſtolâ, quam ſcribit ad Germanum Ganajum, refert, Tritemium Abbatem ſibi legendum præbuiſſe librum à ſe factitatum, quem Steganographiam appellabat, in eoque ſe affirmat reperiſſe complures locos, in quibus multimodi mulierum raptus edoceantur, quo item modo in virorum amorem alliciantur, inducanturve puellæ. Quanquam Tritemius ipſe in præfatione librorum Polygraphiæ ad Maximilianum Cæſarem, nihil hujusmodi rerum, in libris Steganographiæ ſcripſiſſe tradit; Bovillum ob id impium & mendacem appellans, qui ea ſibi in eâ epiſtolâ imputarit, *add. thes. 19.* Quanquam verò prædicta varia venena, & id genus alia, ſolam ſæpe Venerem concitent (qualia plura frequenter recenſentur à Medicis, imprimis *Rejes, qu. 44. pag. 350. Schenk. Obſervat. Medic. l. 4. p. 591.*) propterea tamen ſuperſtitioſa commenta, ex omnibus mentibus meritò eradicanda, non ſtatim dixeris cum *Rejes, pag. 355. & Bokel. l. c.* quia aliud ex doctrinâ *cauſæ ſociæ*, ſimiliter & *ſignorum*, vi quorum Diabolus, tanquam ex *pacto*, agere promiſit, patet, de quibus in ſuperioribus uberius locutus ſum.

Thesis. XIV. *Finalis Cauſa* intendit illicitam conciliationem amoris cujusvis, imprimis autem Venerei: philtra, inquit, *Dn. Erneſt. Gockel. de Regib. Europ. cap. 2. num. 33. pag. 262.* ſunt potiones, vel cibi improbè medicati, & deſideratis amoribus ad edendum dati, bibendumve propinati, ideò confecti, ut vel inviti ad matrimonium contrahendum cogantur: quorum vis faſcinans tàm vehemens eſt, ut etiam beluæ in rabiem abeant. Quamvis præter intentionem (propter inordinatam qualitatem & quantitatem mediorum, quæ in applicando adhibentur; imò propter cooperationem Diaboli in applicatione cibi vel potus, v. g. toxicati, aut cui aliis precatiunculis ac rythmis illicitis, benè, ſi Diis placet! imò malè potius, dixerunt, offerentes) rarò eidem exoptatus reſpondeat *Effectus*, amor ſcilicet arte-

artefactus actu talis, & numeris omnibus ex voto venenantis completus. Nil dicam, quod sæpius, respectu tertii philtrantis, qui fortè inimicus clandestinus est, ne quidem à priori amor, quâ amor est, quæratur; Sed potius, quà passio hominem venenatum torquens, anxietans, &, propter desperatum non rarò subjecti adamandi potiri, ad nescio quid ferè perpetrandum, adigens. Sed de his, ut *θθ. præcedd.* dixi, quædam in enarratione specierum amoris venenati illicitarum traditurus sum. Monendum hîc circa causam finalem, me ad species amoris Venenati illiciti referre debuisse eas quoque, quæ finem quidem bonum, sed media, ad illum consequendum improbata, præ se ferunt. Non enim satis confido doctrinæ *Grotianæ* (si generaliter eandem intellexeris) quam profert *l. 2. c. 14. §. 11. n. 2. item l. 3. c. 1. §. 2. n. 1.* ea scilicet, quæ ad finem ducunt, in morali materiâ æstimationem intrinsecam accipere ab ipso fine; integra quippe causa cum omni circumstantiâ, ex quâ finis elici debet, judicanda est, non semper solus & nudus finis, *jung. Dn. Osiand. ad Grot. pag. 1298. Dn. Feld. h. l. pag. 438.* Hinc sæpe intentio potest esse optima, medium pessimum, v. g. si conjux conjugi rixoso ad amorem honestissimum conciliandum philtrum propinarit, naturale quidem & minimè superstitiosum, ast in quanto vel quali excedens, de quibus *in Thes. 18. & seq.*

THESIS. XV. Cæterum, in genere hasce causas externas quod attinet, fœmineum ego sexum præ masculino (quibus tamen similiter suus non deest nævus, prouti ex totâ hâc Dissertatione clarescit) magis accuso, etiamsi dissentiat *Paul. Girland. de Sortileg. Qu. 12. n. 1. part. 2. Tom. 11. Tr. Tract. pag. 395. b.* Concordant mecum *Hildebrand. l. 1. cap. 37. pag. 114. Mag. Nat. Laurent. Beyerlinck. in Magn. Theatr. vit. hum. tom. 5. verb. Mulier. pag. 757. lit. h.* Verè enim dictum est, fœminas quam plurimum castæ mentis tentamentum esse, & fœminam aut nimium amare, aut nimium odisse, tertium non posse dari. Ut reticeam quod in genere fœminæ ad veneno alios inficiendum sint proniores, & propterea etiam veteribus non parum suspectæ visæ, prouti multis autoritatibus atque exemplis aliorum fide dignorum declarat *Vier. de præstig. Dæmon. lib. 6. cap. 26.* Lasciva namque hæc corpora, venereo cæco amoris œstro percita, desiderato amasii subjecto cum potiri nequeant modo ac mediis honestis, vel propter deformem formam externam, vel propter vitia, quæ habent, interna; tunc quàm maxi-

mè

mè philtra in usum vocant, per quæ amorem involuntarium comparant, & amatis sæpius amentiam, si non planè mortem, conciliant, quod ipsum apud Viros, etsi non ex toto alienum, longè tamen remissiore in gradu (quicquid in contrarium velit fœminarum Patronus *Jodoc. Damhouder. Prax. Crimin. cap. 61. n. 87. pag. 93.*) deprehendimus. Sed liceat harum impudico amore bachantium (sic enim in simili loquitur *Justinian. in §. 1. Inst. de Succession. sublat.*) fœditatem, sexus Verecundiam multis parasangis egredientem, paulò dilucidius mundo exponere. Testabitur quotidiana experientia, quot modos, quot fallacias, ad faciliorem sui attractionem, excogitaverint. Oculos non rarò (imò communiter ferè) duces in hâc arte primarios videmus, quantos appetitus & lacessitus hisce procreënt, non habeo multum dicere, qui vult, videat *Apulej. in asin. aur.* Doloris mei causa & remedia ex te proficiscitur, inquit Jlle, isti oculi tui per oculos meos ad intima delapsi præcordia, acerrimum meis medullis commovêre incendium, *add. Caspar à Rejes, Elys. camp. Qu. Medic. Jurid. qu. 29. n. 5. pag. 349.* Sanè ex oculis his imbibito veneno, cum externis imprimis medicamentis exacerbato, perpetuâ pulchri meditatione velut flabello incenso igne, ardet miser, & nihil aliud appetit, expectat, quam excogitatæ Pandoræ vultum mox protinus adipisci. Hinc visus amoris generalis præcipua ansa est, ut pluribus probat *Kornman. de linea amoris, c. 1. per tot. pag. 4. & seqq.* & prima ad desiderium commune linea, juxta *Gloss. in l. quod ait. ff. ad L. Jul. de adult.* licet in amore hoc nostro speciali & intoxicato *aliquando* se solùm per modum supplementi habeat, *vid. th. 3.* Alii modi possunt perspici apud *Philand. Sittvvald. Vision-Satyr. 3.* von *Venus* Narren/ *pag. 128. & multis seqq.* Memini adhuc unius hâc vice nequaquam prætereundi, quod in casu tertii intervenientis, cujus non è re est acta & actitata statim nosse, soleant scorta procos fratres, cæterosque commilitones cognatos sibi esse proclamare, tantum ut eò facilius res expediatur, nec tertius suspicionem capiat. Hi cognati à Germanis nostris vocantur, impuro & vili vocabulo, Mummen / Mümlein oder Mümichen / vid. *Besold. thesaur. pract. voc.* Huren / Hurenhäußer / *ibique Dietherr. in addit. pag. 398.* De mutatione nominum olim usitatâ meretricibus videri possunt, quæ ex Tacito, Plauto, Juvenali, Martiali, &c. profert *Petr. Papp. à Tratzberg. ad* Holländ. Krieges-Recht. *art. 69. pag. 187*

 summ.

summ. Huhren / welche öffentliche Hurenhäußer halten wolten / haben vor Zeiten ihre Nahmen verändert. Eos autem, quibus chalybs triplex circa pectus erat, quique nolebant se accommodare vocabant scorta voce germanicâ Schmecker / als welche nicht das Hertz hätten / daß sie eine Jungfrau recht angreiffen dürfften / *vid. Philandr. l. c. pag. 124.* De his quasi-Virginibus, scilicet, quæ tanquam sorores cum quibusdam habitant, multis agit *Rupert. in Mercur. Epistol. pag. 661. & seq.* cui addatur matricula & catalogus meretricum apud *Lim. tom. 2. addit. ad Lib. 9. cap. 1. n. 86. pag. 351.* Sic meretriciæ artes describuntur etiam à *Schönborn. in Polit. pag. 269. add. Klock. de Ærario l. 2. c. 146. p. 726.* Jn casu extremæ conditionis rem etiam sciunt circumspectè expedire per proxenetas, decrepitas mulieres, alte Kuplerin / Wettermacherin : Hæ enim admodum astutæ sunt ad explorandum, *vid. Jac. Curt. conject. Tom. 1. l. 3. c. 12. pag. 1. Besold. thesaur. pract. voc.* Kuplerin *pag. 482. add. thes. 12. & 54.* Jmò, ut amore suo scelerato eo felicius fruantur, maritis glaucomata, per verba simulationum aliasque potiones venenatas, fœdissima struere callent. De Mulieribus Portugallicis hoc attestatur Lindschott. *part. 2. Jndiæ Orient. cap. 31.* Es ist das Weibes Volck / inquit ille, aus der maßen unkeusch und geil / und man findet deren sehr wenig / welche / ob sie wohl Ehemänner haben / nicht auch ein oder zwey ledige Gesellen über daß in Bestallung hätten / damit sie buleten. Sie suchen alle List und Räncke / bey Nacht und in geheim durch ihre Magd und Kuplerinnen zu beschicken und einzulaßen über Mauren / Hecken und über Dach / ob sie gleich allenthalben verwahret seyn. Ferners so haben sie auch ein Krauth genant Dutroa, so einen Saamen trägt / denselben Saamen drücken sie aus / und geben den Safft ihren Männern zu essen oder zu trincken / so bald wird dem Manne / gleich als ob er halb von Sinnen wäre / wird unempfindlich / oder gar zum Narren / lachet stets / oder schläfft etwan / und liegt eben / als wenn er gantz und gar todt wäre. Jn summa : Wann sie ihn also hat zu gerichtet / so mag sie in seiner Gegenwart thun / was sie will / sich mit ihren Buhlen erlustiren / und der Mann wird es im geringsten nicht gewahr / &c. Idem de iisdem testatur Mandelslo / *lib. 2. cap. 7. in verbis :* Wann sie gesinnet jemandes nach ihren Willen zu genießen / und denselben können zu sprechen / und bißweilen auch nur aus ihrem Fenster zu sehen

be-

bekommen / machen sie ihr geneigtes Gemüth ihm alsobald bekannt / bestellen Ort und Gelegenheit zu ihrer Zusammenkunfft / geschiehet gar offt / daß sie mit seidenen Strick-Leitern / welche entweder die / so auff solchen Schnapff außgehen gemeiniglich bey sich führen / oder das Weib im Hause eine am Fenster herunter läßet / und ihrem Buhlen einen Weg zu ihr machet. Solte aber die Gegenwart des Vaters oder des Mannes dazu verhinderlich fallen / wissen sie dieselben alsobald ihrer Sinnen und Gedächtnüß zu berauben durch einen gar gebräuchlichen Saamen / *Dutrii* genant / welches sie gar listig in *Confecturen*, Speißen oder Tranck bey zu bringen wissen. Wann also der gute Mann in seiner Gegenwart / mit sehenden Augen nicht sehend / oder schlaffend / genug behörnert ist / gibt die freundliche Frau / nach ihren Brieben / ihren Manne seinen vollkömmlichen Verstand wieder / mit Netzung etlicher Oerter seines Leibes / welcher alsdann nach Ermunterung nicht anders weiß / als daß er etwann einen süssen Mittags Schlaff gehalten habe. Bey solcher Beschaffenheit kan die Frau ihre Sachen sicherer verrichten / als wann etwan der Mann aus dem Hauße wäre. Huc facit (illæsâ tamen cujusvis honestæ mulieris existimatione, de quâ solenniter protestor,) locus *Hieronymi* cum reliquâ epicrisi, quam fecit *Cælius Rhodiginus, lect. antiq. cap. 14. lib. 14. pag. 756. & seqq.* Ego, inquit *Hieronymus*, ita censeo, si cum viris habitant fœminæ, viscarium non deërit Diaboli. Mentes vel ferreas à libidine pervinci, perdomarique cognitum ferè experimentis est. Cur enim Gentilium fabulæ narrant, Sirenum cantibus nautas in saxa præcipites actos. Eas *Palæphatus* in libro incredibilium primo, non alias fuisse scribit, quam meretrices, quæ navigantes blandis venenis pellexerint in fraudem. Hujus voluptatis incentivis & Omphales veneficiis magna mortalium pars delinita præceps abit in vulnus. Omphalon Græcorum lingua umbilicum dicit. At in umbilico dominatur libido mulieribus, lege quoque divinâ succinente; non est præcisus umbilicus tuus: velut insinuet, non esse amputatum ac resectum peccatum. Nam & vulvam produnt illic catenatam constringi. Unde & epinephridia eodem loco firmandis fœtibus opponuntur. Virorum autem in lumbis luxuria statuitur, *Gregorio* tradente. Rectissimè mihi dictum videtur, non posse toto corde cum Domino habitare, qui fœminarum accessibus copulatur.

Scri-

Scribit in proverbiis *Salomon*, Mulierem foveam esse profundam. Et *Propertius* festiviter: Sed vobis facile est verba & componere fraudes, hoc unum didicit fœmina semper opus. At facetè Plautus quendam inducit, optantem, fœminam in milite, quæstuosam, cuique sapiat pectus. Nam cor non potest, quod nulla habet. In Persarum gente si cui ingeratur, videri eum fœminâ socordiorem, δεινὸν δὲ μέγας, id est, Dennus censetur insignis, ut prodit Herodotus. Est autem Dennus, injuria & probrum: unde apud Sophoclem δεννάζειν verbum: quod ἀντὶ τοῦ βλασφημεῖν reddunt Interpretes, addito etiamnum etymo, ut sit ἀπὸ τοῦ δεινὸν δεινάζω καὶ δεννάζω, sicuti φαεινὸς φαεννὸς. Cæterum ut alia desint illud Tiresiæ quale est? Qui electus arbiter (ut ajunt) ab Jove ac Junone de amoris quantitate contendentibus, tres amoris uncias in viro, novem in fœminâ pronuntiavit. *Pergit porrò Rhodigin. l. c. p. 757.* Sed & Pacuvius flens Ario vicino suo ait, Amice, arborem habeo in horto meo infelicem, de quâ prima uxor mea se suspendit, postmodum secunda, jam nunc Tertia. Cui Arius, miror te in tot successibus lachrymas invenisse: & iterum, Dii boni, quot tibi dispendia arbor illa, suspendit: & tertio; Amice, dede mihi ex arbore illa quos seram surculos. In hæc divertisse, non alienum judicabit, quisquis adverterit, illatam à nobis lucem multam verbis M. Tulli ex secundo libro de Oratore, quæ (quod sciam) ad hanc diem nemo est interpretatus, etiam si acutuli ac minuti Doctores, qui se τεχνικοὺς vocant, multa sæpe conantur, argutatores frigiduli. Salsa sunt etiam, inquit, quæ habent suspicionem ridiculi absconditam: quo in genere est illud Siculi: cui, qvum familiaris quidam quæreretur, qui diceret, uxorem suam suspendisse se de ficu, Amabo te, inquit, da mihi de istâ arbore, quos seram surculos. Eadem ferè & apud Quintilianum libro sexto in jocorum ratione. Postremò illud *Catonis* bracteatum est, & nullâ non horâ repetendum: Si absque fœminâ, inquit, posset esse mundus, conversatio nostra non esset absque Diis; *Metellus Mario* respondit, qvum ejus filiam prædivitem, formâ nobilem, genere claram, famâ felicem ducere nollet, Malo esse meus, quàm suus. Cui *Marius*; Imò ipsa erit tua. At ille, imò virum oportet esse uxoris.

Thesis XVI. Quid? quod Diabolus ipse à multis in consortium vocetur, ut *vi pacti prævii & quasi ex conventu* ad operationes concur-

currat. Præstò sunt veneficæ, Diaboli genuina mancipia: loquitur factum Didonis Virgilianæ, quæ, cum nec precibus, aut ullis animi illecebris in sui amorem Æneam allicere posset, tandem ad magicas artes sese convertit, quibus ipsũ detinere & furibundum reddere conata est; quanquam irrito cum effectu, adeò, ut, præter concubitum, nihil ab ipso obtinuisse (si modò nec in hoc quid fabulæ latcat) dicatur, *add. th. 10.* Quocum consPirat factum vetulæ apud *Carpz. Jpr. Forens. part. 4. Const. 2. def. 9.* quæ magicis artibus capro (Diabolo) ad se adduci curavit procum: Da sie bekant und gestanden/daß sie durch Zauberey/in dem sie Kräuter gekocht und gewisse Wort darzu gesprochen/ N. N. einen Bauersmann vom Dorff hinein in ihr Hauß auffm Bock holen lassen/zu dem Ende/daß er ihres Willens mit ihr pflegen sollen. Aliud refert, in puncto imprægnationis & attentatæ desertionis, *Dn. Mich. Freud. Qu. Consc. 55.* von Zauberey/*n. 13. pag. 108.* Daß einer ein Weibstück mit Versprechung der Ehe geschwängert und davon gezogen/den sie hernach/wie sie darnieder kommen sollen/auch also gebannet und wieder eingeholet. Idem in desertione propter suspicionem veneficii, absque præscitu Magistratus privatim susceptâ, sequentia enarrat: Ein Saltz Knecht in Pommern hatte eine Zauberin im Ehebette/drum wolte er die verlassen/und sich wieder in Hessen begeben. Das Weib besorgte sich/er möchte nicht wiederkommen/wolte ihn nicht weg lassen. Als er nun etliche Tage weg gewesen/kömpt auf dem Wege von hinten zu ein schwartzer Bock/schlupffet ihm zwischen die Beine/und führet ihn durchs Feld und Wald/Morast und Wasser/in wenig Stunden an seinen Ohrt/und setzet ihn fürm Thor nieder/in grosser Angst/Zittern/Zagen/Schweiß und Ohnmacht. Das Weib hieß ihn mit hönischen Worten willkommen/und saget/ bist du wieder da? So muß man dich lehren zu Hauße bleiben. Prædictus insuper *Freud. ex Scherzii Specul. tentat. de Spectr. cap. 4.* intuitu neglectorum sponsaliorum priorum, meminit: Daß ein Handwercks Gesell sich mit einem alten Weibe heimlich verlobet/hernach aber anderswo eine Jungfrau erfreyet. Den ersten Hochzeit Tag Abends spricht er etliche eingeladene Gäste um Gottes Barmhertzigkeit Willen an/sie wolten ihm doch die Nacht über Beystand leisten/er befahrte sich einer Angst und Gefahr von dem Teuffel/denn er wurde eingedenck seines dem alten

Weibe gethanen Versprechens. Was geschicht? Um Mitternacht kömmt ein solcher Bock auf den Bräutigamb zu gelauffen / und will er soll auff sitzen / ist aber durch starckes Gebeth dazumahl erhalten worden. Die andre Nacht verleuret sich der Bräutigam aus dem Bette / und wird des morgens frühe auffm Dache beym Schorstein gefunden / und müssen ihn die Seinigen mit Leitern und außschlagen der Schindeln vom Dach halb todt herunter nehmen / der lieget etliche Monden tödtlich kranck / und lebet mit seiner Haußfrauen / nach dem er wieder gesund / in stetem Zanck und Zwietracht / biß er endlich gar von ihr in den Krieg gezogen und in Ungarn blieben / *add. thes. 53.* Atque in hoc iterum, juxta *Thes. præced. 16.* sexum fœmineum præ Masculino malitiæ arguo : nondum enim mihi in historiis probatioribus exemplum legere contigit, per quod doceri posset, fœminam à masculo capro ad se fuisse adductam. Licet non rarò ejusmodi affectui amasii causam & ansam dent, puta per promissiones juratas, & devotiones, si non promissionibus sint staturi, Diabolo factas, da sie bey Teuffel hohlen sich verschweren diese oder jene v.g. zu heyrathen oder nicht zu verlassen / & per consequens Deum proterviter pariter & nefariè tentent, *add. th. 22.* Sed ne nimis extra oleas vagari videar, ad *causas amoris hujus illiciti internas*, pergo.

Thes. XVII. *Materiam* igitur *in Quâ*, sive *subjectū Totale*, vel *ut Quod* est Homo venenatus, incantatus, vel contra ordinatum naturæ appetitum ad aliquod culposè diligendum adactus. Constat autem, utrumque sexum hic labefactari, non solum virilem, sed etiam fœmineum ; fœminas verò in latâ significatione complector, *arg. l. 5. C. de Spansalibus. l. 13. de V.S. vid. Wehner. observ. pract. voc.* **Frauen und Jungfrauen** / quemadmodum & Viros, absque consideratione & attinentiæ respectu, juxta *Philand. l. c. pag. 10.* Præcipuè tamen huc locorum adolescentes & Juvenes capiuntur, cum, secundū acutissimum Satyrico-Politicum *Boccalin. Cent. 1. Rel. 41. in princ. pag. 10.* horum ætas adhuc sit parum providens, mollis, fluxa, dolisque facilè capiatur ; è contrario autem fœminæ utplurimum citius subdolæ & avaræ, *arg. l. sed si ego. in fin. ff. ad Sct. Vellejan.* Hinc etiam citiùs prurientes ad Venereos actus præsumuntur ; *Partiale Subjectum*, vel *ut Quo* est hominis appetitus, quà rectæ voluntatis imperio dirigi detrectat, seseque sortè ad improbatam Venerem, vel ad aliud aliquod

à Cau-

à Causâ efficiente illegitimè intentatum conformat. *Materia circa Quam*, sive *Objectum*, est (1.) *homo*, isque (α) *vel* ipse Venenans, id enim ille, quà causa efficiens est, intendit, ut se venenatus incongruè amet. Ergo, *in amore conciliando*, venenatus est venenantis Objectum; at *in amore conciliato prosequendo*, quod hîc imprimis spectatur, venenans est Venenati Objectum: *vel* (β) tertius, quem philtrationem suscipiens, (sive scientem, sive ignorantem) supposuit, aut cujus jussu venenum Sympatheticum applicuit. (2.) *Res*, ad cujus affectionem suo modo apud venenatum conciliandam venenans laboraverat. *Materiam ex Quâ*, quamvis illa in accidentibus propriè non detur, tamen hîc, melioris doctrinæ gratiâ, à conceptu generico mutuari libet, ponereque motum appetitus sensitivi inordinatum, qui postmodum per supervenientem reluctantiam, suppressionem & contradictionem, quæ voluntati fit, ad aliquod subjectum illicitè amandum dirigitur. *Forma* est actualis applicatio suæ appententiæ ad motum, cujus jam mentio facta est, idque ob finem desideratum, per media venenata, quæ apta ad hoc applicans arbitratur, consequendum.

Thesis XVIII. Evadit proinde, ut species (& respectivè effectus, *vid. thes. 14.*) quasdam exprimam, Amor Venenatus illicitus, quatenus ille versatur juxta *thes. præced.* tàm circa personas, quam circa res. *Personarum* amor peccatum importare potis est, quà ille iterum spectatur *primò* ut causatus per medicamenta, quæ *aut* corpus quam maximè ingrediuntur, *aut* ad corpus extrinsecus saltem applicantur. *Secundò* vel *simpliciter*, *tàm* respectu medii, *quam* finis; vel *conjunctim*, *&* ratione medii, *&* finis. *Quod medium attinet simpliciter*, peccatur circa hoc tàm in *Quante*, quàm in *Quali*. *In Quanto*, si medicamenta quidem in se licita applicantur, sed in dosi exceditur; tunc enim, loco sperati amoris (utut eundem etiam præter supra citatos, neget *Sennert. lib. 6. part. 9. cap. 5. Medic. pract. pag. 409. Item lib. 1. part. 2. cap. 10. pag. 358.*) delirium variaque sensuum disturbatio exoritur, adeò, ut iterum atque sæpius, feræ instar, effrenis fiat, vitæque aleam subeat ejusmodi intoxicatus, juxta *Bald. ff. & cum placuisset. ff. de O. J. Mascard. de Probationib. Concl. 86. n. 20. p. 129. Menoch. de Jud. Qq. arbitr. l. 2. Cent. 4. Cas. 328. num. 1. & 6. pag. 448.* Annotat *Aristot. l. 2. M. M.*

uxorem marito propinasse poculum amatorium; ex quo maritus sæpius exanimis & mortuo similis concidebat. Extat hujus rei exemplum in Lucretio Poëtâ, quem Lucilia (Lucillam item Lucilliam eam alii vocant, imò etiam Rutiliam, secundum *Calvin. in Lexic. verb. poculum abortionis. pag. 709. Gœdd. ad l. 1 de V. S. num. 32. pag. 37.*) uxor amatorio poculo in furorem traxit, unde & mortuus est juxta *Hieronymum in Rufinum*, cujus verba *Johann. Wierus, de præstig. Dæmon. l. 3. c. 38. pag. 382.* hoc modo citat: Livia virum suum interfecit, quem nimis odit; Lucilla suum, quem nimis amavit; illa sponte miscuit aconitum; Lucilla decepta furorem propinavit pro amoris poculo. De illo quoque Lucretio extat illud *Politiani in Nutric.* Hic qui philtra bibit, nimioque insanus amore, mox ferro occubuit, sic mentem amiserat omnem. Eundem alias Hieronymum etiam allegarunt *Andr. Alciat. l. 7. Parerg. Cap. 25. pag. 384.* & *Euseb. Cæsarien. Chronic.* quem præter *Vierum*, referunt *Goclen. in Synarthros. Magnet. pag. 253. Menoch. l. infr. cit. n. 2. cum Petr. Crinit. de Poët. Latin. c. 19. Cœlius Rhodigin. Lect. Antiqv. lib. 14. c. 14. pag. 757. lit. e.* Quamvis de hâc historiâ non parum dubitet *Hieronymus Jordan. in Tract. de eo quod divin. aut supernat. est in morb. hum. corp. ejusq; curat. cap. 23. pag. 89.* sequentia commemorans: Lucretium furoris impatientiâ manus violentas sibi intulisse, scribit *Eusebius in Chronic.* quo autore, incertum. Nisi tamen Memmii, imò totius Reipubl. calamitas ac perturbatio hoc ipsius fatum acceleravit. Certè Lucilianum propriæ uxoris (uti creditur) philtrum, non tam igniculos divini Poëtæ extinxit, quam inducias animi dedit, aggrediendo de rerum naturâ luculentissimo operi. Sed tamen *Eusebiana* relatio, cum omnibus aliis, qui se in hoc facto fundare conantur, sistit in autoritate *Hieronymi*, cujus in fide etiam hucusque acquiesco, rem interim magis otioso discutiendam relinquens. Sic *Flav. Joseph. lib. 19.* (non *lib. 11.* ut volunt *Goclen. l. c. pag. 254. & Vier. pag. 383.* quorum uterque procul dubio *Josephum* vel non evolvit, vel ab alio bonâ fide exscripsit; eundem etiam *lib. 11.* allegat *Delrio, l. c. pag. 371. Vierum*, ut ego reor, secutus, quem alias fideliter in hâc materiâ exenteravit) *Antiquit. Judaic. pag. 218.* meminit: Creditum olim, Caligulam tali potu â Cæsoniâ in furorem adactum atque necatum esse, *add. Sueton. in Vit. Calig. cap. 50. pag. 486. Johann. Bokel. de Philtr. cap. 7.*

Roderic.

Roderic. Castrens. l. 4. c. 2. pag. 217. Henric. Salmuth. in Respons. pro Matrimon. Princip. cum Virg. nobili, pag. 27. Quod commemorans *Satyricus Poëta Juvenal. Satyr. 6.* id poculum ex veneno, quod hippomanes vocatur, apparatum fuisse ait: Hic magicos affert cantus, hic Thessala vendit philtra, quibus valeant mentem vexare mariti & soleâ pulsare nates: quod desipis inde est: Jnde animi caligo & magna oblivio rerum, quas modò gessisti: tamen hoc tolerabile, si non & furere incipias, ut avunculus ille Neronis, cui totam tremuli frontem Cæsonia pulli infudit. Refert *Salmuth. l. c.* quod Caligula, philtrum sentiens, interdum dicere solitus fuit, exquisiturum se vel fidiculis de Cæsoniâ suâ, cur eam tantopere diligeret. Licet alii, cum *Dione*, Cassichareæ & Cornel. Sabini conjuratione eum occisum fuisse contendant, *add. Rejes. l. c. pag. 358. Cælius Rhodigin. Lect. antiqu. cap. 14. lib. 14. pag. 756.* Jdem de L. Lucullo Jmperatore scribunt *Plutarch. in Histor. Lucull. pag. 518. Besold. Thesaur. pract. verb.* **Liebes Trăncklein** *58. pag. 592. Jacob. Menoch. de arbitr. Judic. l. 2. Cas. 358. pag. 482. Sennert. lib. cit. 1. pag. 358. Medic. pract.* quem Callisthenes libertus per philtrum, sub intentione affectionis conciliandæ, rationis & denique vitæ usu privavit: an verò *Cornel. Nepos* hanc etiam historiam adducat, uti volunt *Vier. l. c.* & *Tiraquell. l. c.* ipse quæras, quicunque tempus habes, superfluum; ego interim apud Eundem me hoc legisse non memini, *add. bb. 2. 8. 38. & Hippolyt. de Marsil. ad l. ejusdem §. adjectio. ff. ad Leg. Cornel. de Sicar.* Ipsi quoq; elegiacorum Germanorum principi, ut eum vocat *Jordan. l. c. pag. 90.* Petro Lotichio Bononiæ per errorem à Canonico Monacensi philtrum fuit propinatum, cujus reliquiæ quotannis recurrerunt, *jung. b. 24. Rejes, l. c. pag. 358. ex Freitagio,* & hic rursus *ex Georgio Fabricio, in Noct. Med. cap. 16.* Stiradio cuidam similiter mens abalienata à Virgine Venefică, uti habet *Johannes Dubravius Skala, Pelsinensis, l. 2. Histor. Bojemic.* De aliâ Puellâ, cui amator membranulam cum quibusdam characteribus in sinum jecerat, *Petrus Lelojerius* videri potest. Hetruscus quidam juvenis Baptistæ Codronchii, veneficam adeò perditè amavit, ut, suorum omnium immemor, præter propter vitam traduxerit, donec invenissent sub lecto bufonem ollæ inclusum, consutis oculis: quo abrepto, & solutis oculis cremato, confestim maleficiatus, suorum recordatus, tanquam è somno surgens ad uxorem & liberos suos

reversus est. Alius Trevirensis ditionis adolescens, cum non semel accessisset ad feralem convivantium jocum, felis gustato cerebro, decrescente lunâ, sensit mentem imminui, nec ullâ nocte illi data requies à dæmone. Generosus alius Baro, Bohemus, filium Bononiæ habuit, qui accepto philtro, totus contabuit ac tandem mortuus est. Posteaquam verò corpus sectum est, massa quædam dura, cornu similis in fundo ventriculi inventa est, quæ patri postmodum transmissa fuit. Pater, in memoriam filii sui demortui, cochlear sibi ex eâ massâ fieri curavit, eoque frequenter uti in mensa solitus fuit. Accidit autem fortè fortuna aliquando, ut cochlear istud embammati, ex Nasturtio aquatico cum aceto confecto, impositum dissolveretur. Hinc Nasturtium aquaticum in rebus non vulgaribus contra philtra præditum esse facilè conijcere possumus. Hæc ex *Laurent. Scholz.* profert *Johann. Schenck. à Grâfenberg, in Observat. Medic. lib. 7. rubr. philtra. pag. 930.* Idem *Rejes, l. c. pag. 358.* aliud, ut putat, non tacendum memorat ex *Matth. Vilano*, de Carolo IV. Jmperatore, cujus uxor Adolphi III. Ducis de Cleve filia, cum maritum in maximum sui amoris trahere conaretur, nullum damnum aut periculum cogitans, simplici animo illi potionem parari fecit; quâ assumptâ morti succubuisset Jmperator, nisi citò ac subitò remedia obstitissent, & non nisi pilis orbatus & fœdo corporis habitu evasit; inscius tandem Jmperator in duorum prætorum suspicionem devenit, quos propterea statim ad mortem damnavit; quorum tamen innocentiam advertens Regina, ad Regis pedes procubuit, & patrata narrans culpam in se probè convertit; quibus auditis, & mulieris simplicitatem agnoscens Carolus, uxori indulsit, alios liberos dimisit. *Et paulo post:* Certè satis mirandum illud, quod *Henriquez. ab Her*, de quodam adolescente propè Leodium accidisse refert; Sicuti de alio *Balduinus Ronsæus*, cui ardens amasia, ut remorantes nuptias properaret, nil mali imprudenter cogitans, philtrum propinavit, quo in lentissimam mortem paulatim, nullis proficientibus auxiliis, eundem deduxit. De Calceolario quodam Wittebergensi, qui philtro accepto multos annos insanus vixit, & tandem in claustro insanus mortuus est, attestatur *Sennert. l. c. pag. 359.* Facit huc *exam. cas. Dn. Schilling. Diss. Inaug. Med. de Ægr. ex amor. catalept. fact. pag. 4.*

Thesis XIX. *In Quali* peccans species amoris venenati animadvertitur, si per venena periculum vitæ ut plurimum secum ferentia,

tia, aut maximè insolita, item per magiam aliamque superstitionem, aut vanam persvasionem verbalem, reali admixtam operationi, tàm Vir, quàm Mulier, præceptoris sui Diaboli subsidio, quem ad sui amorem concitare studeant; sive jam ad hoc utantur verbis, sive signis, sive characteribus, sermonibus, imaginibus, aliisque nefandis aut insolitis. Quidam alii, inquit *Girland. qu. cit. num. 23. pag. 384.* capiunt cutim Virgineam, aut infantis (de quo infra *thes. 22.* dixi) *add. Roderic. à Castro, Medic. Polit. l. c. pag. 218.* aut alterius quadrupedis nondum nati, hoc est, quando nascitur abortium, quam redigunt in membranam, quam appellant *Chartam Virgineam*, & tenent quandoque in formâ quadratâ, quandoque verò in formâ rotunda, sicut hostia, vel parum minus, & super illis describunt, aut scribere faciunt, verba incantativa & conjurativa spirituum, quibus immiscent certos characteres & signa quædam extranea, quibus Dæmonum invocatio continetur, ut latius infra *thes. 22.* dicatur; qui Dæmones magicis artibus advocati, mediantibus istis sortilegiis, characteribus & signis coacti, adveniunt certis temporibus observatis & determinatis, carminibus, ritibus & imaginibus consecratis, vel potius execratis, ut dicit sanctus *Thom. in Tract. qq. part. 1. qu. 10. vers. 9. in fin. de Miracul.* ubi etiam dicit, quod, per ista vel similia nomina, Dæmones vocati coguntur venire, si Magus illos advocat, & licet insint & appareant aliqua nomina Dei, nihilominus illorum finis & ultimus effectus semper tendit ad istud; Sed ideò illa Dei nomina apponunt, ut facilius legentes decipiantur, & credant, per illorum nominum expressionem rem ipsam sanctam atque devotam esse. Et ex istis quam plurimas vidi, & abstuli de manibus maleficorum, & inter alia sæpius vidi ista verba inserta: Agios Otheos, Agios Jschyros, Agios Athanatos, hoc est, Deus Acharon, Deus immortalis, & clarum est, quod hoc nomen *Acharon*, est nomen Sathanæ sive Beelzebub, ut *not. 4. Regum*, dum Elias, divino numine inspiratus, reprehendit Ochosiam Regem, qui, derelicto divino cultu, Deos extraneos adorabat, dicens: Nunquid non est vobis Deus vester Deus Jsrael, ut eatis consulendum Beelzebub, Deum Acharon, de lecto, quem adscendisti, non resurges, &c. Quidam alii admiscent in ipsis sortilegiis amatoriis partem aliquam chlamydis, aut camisiæ filum, si habere possunt, personæ maleficiandæ, & cum illis & aliis mixturis componunt,

unt facturas suas, quidam verò capiunt avium aut brutorum intestina vel membra, seu alia corporis, vel membri particulam, prout quidam cœpêre jecur vulpis, oculos lupi aut illius caput, cor cervi, noctuæ intestina, aut bubonis, lingvam milvi aut philomelæ & similium. Nec putes, quod sola istarum rerum mixtura sufficiat ad causandum prædictos amoris effectus, nisi adessent verba Diabolica exorcizantia & sortilegi mens & intentio prædicta omnia Sathanæ voventis, & veluti sacrificia immolantis ad hujusmodi turpes effectus; quemadmodum enim per verum sacerdotem immolatur hostia, quæ Deo Creatori cum devotione offertur; ita per istos maleficos & sortilegos verum divinum cultum imitantes, violantesque hæc eorum reproba sacrificia immolantur, quibus oblatis & emissis precibus statim efficiuntur à Dæmone consecrata seu potius execrata, &c. *Hactenus Girland.* Tametsi quoque *in Quanto vel Quali simul* excessus fieri queat, prouti probabile est, mox ante citatam Luciliam, eò quod maritum alieno teneri amore existimaret, (vel quod eum Poesi suæ justò curiosius indulgentem & se negligentem crederet, juxta *Dn. Schwimmer. Curiosit. ex Physic. secret. Dissert. 4. Theorem. 6. §. 20. pag. 72.*) per nimiam, eamque insimul maximè crudam, sangvinis menstrui propinationem, aliasque fortè incantationes magicas, ipsum furibundum ad propricidium adegisse, de quo tamen *vid. th. præced.*

Thesis XX. *Finis* sæpius media (quà in se & absolutè æstimantur) maximè licita incongrua reddit, idque propter *novam speciem amoris Venenati illiciti* causatur; utpote si ad stuprum vel aliam Venerem illicitam prohibitamque quis eo pacto sollicitetur, aut alterum sollicitet. Meminit alicujus poculi ad procurandum amorem inter Hebræos recepti, quod sub nomine amoris heroici occultatum putat *Matth. ab Afflict. l. 3. rubr. 41. §. poculum amatorium. num. 4. pag. 206.* audi ejus verba: Quærit hic *Andr.* quod dicatur poculum amatorium? & dicit, quod dicitur poculum amarum ab amaritudine (ridiculum satis, sed condonandum Doctori) vel dicitur ab amo, amas, sicut mulieres malæ, quæ propter luxuriam infatuantur: ut notatur *in l. 1. §. penult. ff. de ædilit. edict.* Sed hoc venit ex amore herojco, ut dicit *Raynald. de Vill. nov. sub rubr. incipiente: remedia contra maleficia. chart. 250.* Iste amor herojcus potest esse excessivus

vir-

virtutum : ut fuit amor in Deum beatæ & glorioſiſſimæ Virginis ſemper ſanctæ Mariæ, item fides ſanctorum Martyrum : & iſta Virtus amor in Deum ſuperat carnales virtutes ſecundum *Philoſophum, 7. Ethicor.* de quo latiùs in quodam egregio libello, quem compoſuit egregius Doctor noſtris temporibus *Dn. Joh. Lopis Valentianus* : qui intitulatur : *Viridarium virtutum Rubr. de Virtute heroicâ.* Sed reperio, quod *Nicol. de Lyrâ, in Amos Prophet. 6. cap.* dicit, quod apud Judæos fuit optimum ungventum ad procurandum libidinem. Hæc *Aſſicl.*

Thesis. XXI. Et hoc magis apertum, ſi cum hac prohibitione finali *media execrabilia, aut alioquin inſolita & in applicatione excedentia* concurrant : videlicet, *quoad poſterius*, ſicuti jam dictum *theſ. 18.* primus ſangvis mulieris menſtruus adhibeatur, ad gignendum furorem (teſte *Heurn. in Prax. de Morb. cap. 13.*) haud leviter pronus, cui jungas, licet, juxta *theſ. 13.* ſemen virile, ſecundinas, ſudores, lac, urinam alvi, feces, ſalivam, capillos, ungues, item vaſa umbilicalia; ſic inter alia frequenter meretrices uſurpant cerebrum muſtelæ piſcis, quod ſpecificam vim excitandi amorem habere dicitur, item uterum hyenæ, virgam lupi, remoræ, &c. Conducit quoque huc exemplum relatum à Magiſtris inquiſitionum *Henrico Inſtitore & Jacobo Sprengero*, Theologiæ Doctoribus, quod proſtat *in Malleo Malefic. part. 1. qu. 7. p. 113.* novimus, inquiunt illi, vetulam tres ordine Abbates, ut publica omnium fratrum in eo monaſterio etiam in hodiernum diem eſt opinio, non ſolum philtris incantaſſe, ſed & interemiſſe, & quartum jam ſimili modo dementaſſe. Nec eam pudet fateri palam, ſe feciſſe & facere, eosque à ſuo amore deſiſtere nequiviſſe, quod tantum de ipſius ſtercoribus comediſſent ; ſimulque quantitatem, extenſo brachio, commonſtrat. Fatemur autem, quia nobis non erat in eam inquirendi ulciſcendique facta poteſtas, illam adhuc ſuperſtitem eſſe, &c. *Hæc illi.* Ad quod adijcit *Wier. lib. 3. cap. 38. pag. 384.* Stercora hæc fuiſſe ſpurcitiem Veneream, quam, velut cœno immerſi, toties erant experti in exercitatâ laſcivienteque vetulâ, meretriculâ Monachi, ut ab ejus illecebris ineſcati, quaſi faſcino, vel certiùs maleficio, detenti, deſiſtere & ad mentem redire nequiverint, mea profecto eſt ſententia ; hoc amatori non poculum, hæc, brachii inſtar, vocata veluti ſcorti ſtercora ; judiciumque eſto penes ejusdem con-

ditionis. Viros qui etiamnum quotidie ſibi, maleficio illecti, in eadem palæſtrâ ſtrenuos exantlare labores ſatagunt. Sed hæc, ut ſæpe monui, Cathedræ Phyſico-Medicæ, cum meæ profeſſionis non ſint, prolixius in actu ſignato examinanda repono. Recenſet præterea *Becker. in Spagyr. Microcoſm. l. 1. c. 8.* quod matres nonnullæ, magnâ ſuperſtitione, umbilicum delapſum curioſè aſſervent, exiſtimentque, ſi in pulverem redactum Viro juveni propinent, eum protinus amore, ſive licito, ſive illicito, captum iri.

THESIS XXII. *Prius quod attinet*, quosdam eò à Diabolo delatos conſtat, ut non veriti fuerint conſecratam hoſtiam, ſangvineis literis inſcriptam, aut (ſi forum imprimis Romano-Catholicum reſpicias) alias res baptizatas & conſecratas, horrendum dictu! uſurpare & exhibere, *Matth. Berlich. Concluſ. Pract. 5. part. 4. num. 65. pag. 50. Petr. Gregor. Tholoſan. Syntagm. Jur. univerſ. l. 34. c. 12. n. 4. pag. 672.* Audiamus hic iterum verba loquentis de experientiâ ſui temporis *Paul. Girland. JCti Caſtilionis Florentini in Tract. de Sortileg. Qu. 3. n. 16. pag. 338. b.* quæ tametſi paulo prolixiora ſint, & à *Beyerling. in theat. Vit. human. tom. 5. verb. maleficium. lib. 11. lit. f. g. ſeqq. pag. 205.* item *Martin. Delrio* quoque citata *Diſquiſit. Magic. l. 3. part. 1. Qu. 3. pag. 363.* cum meam aſſertionem non parum illuſtrent, huc adſcribere in gratiam Lectoris volui: in ſortilegiis, inquiunt Illi, ad amorem ut plurimum admiſcentur ſacramenta eccleſiarum, ſicuti eſt hoſtia conſecrata (ut notat *Gloſ. ad capit. accuſatus. 8. §. ſanè verb. ſaperent. lit. h. de hæretic. in 6. pag. 197.*) vel nondum ſacrata, ſed circumſcripta notis & literis ſangvineis, ſuper quâ dici curant quandoque unam, duas, tres, quinque, pluresve miſſas, quibus celebratis, tradunt hoſtiam ipſam non integram, prout eſt, ſed in pulverem redactam valdè ſubtiliter, perſonæ maleficiandæ, quod aſſumere faciunt in cibo, ſicut in meneſtrâ, vel in potu; eodem modo faciunt cum *calamitâ*, immixtâ aliis ſpeciebus, & traditâ, ut ſupra, in cibo vel potu perſonæ maleficiandæ, &c. *Idem num. 19. & 20. l. c. pag. 384.* pergit *Girland.* Hoc bis aut ter habui in facto, ſortilegos, qui, huic ſortilegio, ſive maleficio, incumbentes, hoſtiam commiſcuerant, unum videlicet Clericum religioſum, qui hoſtiam ipſam ſacratiſſimam accipiebat, cujus partem ipſe ſceleratiſſimus, qui cupiebat amari, aſſumſerat, dicendo quædam verba ſatis turpia atque nefanda

quæ

quæ hic referre non expedit, reliquam verò partem hostiæ miserat ad ipsam mulierem, non in formâ hostiæ, sed minutatim contritam, aut in pulverem redactam sumendam in cibo aut potu. Iterum habui alium, qui hostiam ipsam nondum sacratam acceperat, & super illâ circum circa cum sangvine annularis digiti nonnulla verba satis turpia descripserat; deinde ipsam hostiam super altari imposuerat, hoc est, super nudo lapide sacrato, sub linteamine tamen altaris absconditam, & à quodam sacerdote rotundæ conscientiæ super illa quinque missas celebrari fecerat, certis orationibus ad ejus propositum superadditis, deinde hostiam ipsam sumpserat, quæ tamen non erat expresè consecrata, cujus partem pro se assumpserat, alteram verò partem personæ maleficiandæ tradiderat redactam in pulverem, ut proximè dixi, asserentes uterque ipsorum, qui hostiam ipsam assumpserat, indissolubili amoris vinculo ad invicem colligari, nihilominus nullum effectum apparentem vidi nec percepi. Nec sunt adhuc anni duo elapsi, quo alium similem casum audivi Romæ accidisse de quadam impudicâ muliere, in cujus cofanis repertæ fuêre duæ hostiæ, super quibus ambabus erant descripta verba quædam sangvinea; etc. quas ipsa tenebat, ut asseruit, ad tradendũ cuidam alteri mulieri, ad instantiam Viri, qui ejusdem mulieris amorem concupiscebat. Aliàs quoque nondum est annus elapsus, quod duæ impudicæ mulieres Romæ, quas vidi, & audivi ab Excellentissimo Viro Reverendo Domino locum tenente Rever. D. Vicarii Papæ, qui illas captivatas habuerat, & examinaverat, quæ acceperant oleum baptismatis, quo inunxerant sibi labia, dicentes hæc verba (reticet ea *Girland. in* meâ editione, quæ reperitur *in Tract. Tom. XI. part. 2. pag. 396.* initium tamen eorum, nescio unde, protulit, factum hoc ex *Girlando* citans & exscribens *Delrio, l. c.* hoc modo; Fides abrenuncio Tibi, &c. . . . .) & cum labiis illis sic inunctis deosculatæ fuerant Viros quosdam, causâ captandi amorem ab ipsis, ut ipsæ asserebant, nihilominus demum omne experimentum fallax, & suorum excessuum condignas vide luere pœnas. Aliud exemplum, à triennio, & citra, in eadem urbe contigerat, quod quædam turpissima mulier acceperat particulam cutis illius, quâ infans indutus egreditur de utero matris, quamprimum venit in lucem, illamque similiter super nudo lapide sacrato latuerat, & super illâ plures . . . cutim-

que prædictum postmodum assumpserat & baptizaverat sub nomine personæ maleficiandæ .... & ceremoniis consvetis deinde eandem in pulverem redegit, ad effectum tradendi personæ maleficandæ, interim tamen capta fuit, nec perficere potuit fortilegium, sed congruas sceleris sui luit pœnas. De incantatione, quam vidua nobilis erga scribam suum & procuratorem bonorum, verbis superstitiosis, peregit, *vid. Dedekenn. Consil. Theologic. vol. 3. num. 6. pag. 362. qui & vol. 4. n. 22. qu. 3. pag. 793.* disquirit de aliis, per pulveres ad amorem sodomiticum incitatis à quodam H. H. daß nehmlich er unterschiedliche angegebene Personen / vermittelst Eingebung eines teuffelischen Pulvers / zu dem abscheulichen Laster der Sodomie gleichsam gezwungen und verzaubert. Sic quædam Saga in responso Dnn. Scab. Lips. Mens. Novemb. 1661. ad Consultationem Senatus Civitatis Imperialis Mühlhaußen / confessa fuit, daß sie 3. mahl unmenschliche Unzucht mit dem Teuffel verübet / und nachdem sie durch solche Unzucht etwas zur Welt gebracht / so wie eine Hummel ausgesehen / daraus der böse Feind ein schwartz Pulver gemacht und ihr gegeben / damit sie viele zu ihren Willen verleitet / *add. l. 38. in fin. num. 4.* Gebhardum Truchsessium, Archi-Episcopum Colonien sem, ad matrimonium contrahendum in priori seculo philtris Scoti Magi fascinatum fuisse, refert *Herm. Hermes, Fascicul. Jurispubl. cap. 13. num. 11. pag. 268. edition. prior.* quod assertum, an verum, an, propter odium Augustanæ Confessionis, quam postmodum professus fuit Gebhardus, à Pontificio dictum sit, hîc præcisè non discutiam, quamvis posterius, tanquam probabilius, adhunc usque diem credam. Interea qui vult *aliam speciem* horum maleficiorum venenatorum à Medico descriptam cognoscere, adeat celeberrimi, atque, dum viveret, felicissimi Doctoris Practici *Joh. Michaelis Dissert. de Morb. ab incantatione & venefic. oriund. thes. 30.* Diobolaribus, dicit ille, fœminis olim consvetissimum erat, cremando nucleos olivarum concupiscentiæ flammam testari, & procorum duritiem mollire: Quâ ratione eos sic incantare studebant, ne diu desiderare incassum deberent, sed statim allicerent amasios. Vovebant verò insimul in hoc cremationis actu, ut hospites earum amore simillimo modo torrerentur. Demum sic adusta & redacta in cineres *olivarum ossa* spargebant in auras, jacta trans caput. Aliam & consimilis effectus ceremoniam quærebant

in

in cerâ, quam liquefaciebant, inque æneo globo, quem circum agebant; sic juxta precando murmurantes: Sicut ego hanc ceram, Deo (Cupidine) juvante, liquefacio; ita præ amore statim liquefiat cordi meo charissimus ille; (& nominabant cum nomine suo) atque ut volvitur æneus hic orbis ope Veneris, sic ille volvatur ante nostras fores. Hæc *Michael.* cui consentit *Rejes, pag. 354.* allegans Versus *Virgilii in Pharmaceutr.* Limus ut hic durescit, & hæc ut cera liquescit uno eodemque igne, sic nostro Daphnis amore; item *Ovidii;* Devovet absentes, simulachraque cerea fingit, & miserum tenues in jecur urget acus. Idem, diu ante illos, retulit *Herodot. l. 1.* & ex eo *Strabo, l. 8.* ut putat *Calixt. Theol. Moral. pag. 49.* fuisse sc. morem Syriacarum mulierum ad delubra Veneris, ut juxta legem, *semel in vitâ,* ad ipsius templum desidentes cum externis Viris consvetudinem haberent, nec prius domum regrederentur, quam hospitum aliquis cum eâdem à fano seorsim abductâ rem haberet: nec cuipiam permittebatur hospitem repudiare, quicunque is esset, qui eam prius abduceret. αἱ δὲ γυναῖκες περιθέμεναι σχοινοία ἐν ταῖς ὁδοῖς ἐγκάθηνται, θυμιῶσαι, τὰ πίτυρα. Ὅταν δὲ τὶς αὐτῶν ἐφελκυσθεῖσα, ὑπό τινος τῶν παραπερευομένον κοιμηθῇ, τον πλησίον ὀνειδίζει, ὅτι οὐκ ἠξίωτα ὥσπερ καὶ αὐτὴ οὔτε τὸ σχοινίον αὐτῆς διεῤῥαγή. Sed ut ne verbis Græcis textus sacri in Baruch Te detineam, L. B. agam cum versione Latinâ *Herodoti*; sic autem, ille, una inquit, iisdem Babylonis lex est omnibus modis exsecranda. Nempe omnibus mulieribus indigenis commune est, semel in vitâ, ad Veneris templum desidentibus, cum externis Viris consvetudinem habere. Cæterum cum pleræque sint divitiis tumentes, quæ sui copiam facere recusent, hæ vehiculis cameratis subvectæ, pro templo consistunt, relictâ interim à tergo magnâ famulitii turbâ. Pleræque etiam hunc in modum faciunt, ad templum Veneris sedent, nodis, corollisque tempora revinctæ, è quibus dum aliæ seorsim abeunt, aliæ regrediuntur. Nam diverticula undecunque sic funiculis distincta aditum præbent externis ad mulieres illas, quam cuique libuerit diligendam. Porrò cum semel illîc consederint, non prius domum regrediuntur, quam hospitum aliquis pecuniam mulieri in sinum injecerit, & cum eadem à fano seorsim abducta rem habuerit. Hospitem autem illum, qui pecuniam obtulit, dicere oportet: tanti ego tibi Deam Mylittam

imploro. Mylittam enim Assyrii Venerem appellant. At verò pecuniam illam, quantulacunque sit, non est fas rejicere, siquidem in sacrum convertitur usum. Neque mulieri etiam permittitur hospitem aliquem repudiare, sed quicunque is est, qui pecuniam objecerit primùm, hunc illa sequitur citra delectum. Postremò ubi jam congressa fuerit cum externo mulier, Deâ expiatâ, domum revertitur. Jam, quæ forma sunt elegantiore, citiùs (ut par est) expediuntur: quæ verò deformes, diutius coguntur desidere pro templo, antequam legi faciant satis. Fitque interdum, ut, uno atque altero anno, aut etiam triennio, atque diutius expectare oporteat miseras. Alicubi, nempe in Cypro, similis quædam lex est. Hactenus *Herodot.* Ab hâc igitur Babylonis consvetudine Jeremias apud *Baruch. Cap. 6. vers. 42.* populum Dei dehortatur, & ab adolitione olivarum (secus ac habet versio Germanica *Lutheri verb.* Obß zum Opffer. *vid. Andr. Osiand. ad h. l.*) quam magicis nugis addictæ Babylonicæ fœminæ, ne diu illîc excubare cogerentur, pro philtro utebantur: maximè quæ nec divitiis, nec formâ, nec genere commendabantur, & cum illa ossa urerentur, precabantur, ut sic hospites eorum amore torrerentur, *add. Roderic. à Castro, Medic. Polit. l. 4. c. 2. pag. 218.* & latè *Martin. Delrio, l. c. pag. 367. & seqq.* cùi tamen, cùm hæc thesis ad finem tendat, & Ipse *pag. 376.* uberiorem explicationem urgeat atque expectet, salvo aliorum judicio, meam quoque opinionem adjungam. Sic autem ille, puto, scribit, solitos adurere ossa olivarum, hoc est minutas olivas, & duriores cæteris, ac penè osseas; quæ est vocis Græcæ altera minus nota significatio apud *Athenæum, l. 2. Convivii Sophistici*, ex Callimacho & Philæmone: pro quodam minuto ac viliore & coloris furfuracei olivarum genere, quod πίτυρον vocarunt. Unde & fraces ac magmata olivarum *Hesychio* videntur dicta ἐπίτεφα, dum scribit, ἐπίτεφα ἐκπάσματα ἐλαίων, ubi fortassis, ἐπίτυφα legendum, nec in voce, ut opinor, peregrinâ quærenda solita Græcorum compositio, ἐπίτυφον, edulium novit *Athenæus, & Varro l. 6. de Lingv. Lat. apud Plautum*, si unum *Epityrum* edam apud illum esuriens insanè benè. Epityrum vocabulum est cibi, quo frequentius Sicilia, quam Italia, usa. Sic *Varro.* Locus *Plauti* est in *Milit. Glorios.* nempe fiebat ex pityrodi olivâ confrictâ: meminere & *Cato & Columella libro de re rusticâ*, conficiendi modum indi-

indicantes, & Græcanicas magnæ Græciæ urbes, id conficere solitas: fortè etiam vocem, ἐπίτυρα. *Sed cur noster vertit Ossa Olivarum?* certum est Hebræos, quæ in quâque re fortiora & duriora sunt, ea vocare *ossa*, ut ossa obsidentium, תבר עצמות chonach atsmoth, *Psalm. 53. v. 9.* scitum etiam, hanc olivam minutam plus ossis, quam carnis edulis præbere. Constat quoque Hebræâ phrasi genitivum fixum habere vim mobilis recti: & ideò, ossa olivarum, accipi posse, pro osseis olivis: sicut in Mosaicis scriptis *Genes. 49. v. 13.* asinus ossis, ponitur pro asino osseo. Quare suspicor, hoc loco à Jeremia scriptum fuisse, atsmoh Zethim, quod ad verbum significat, ossa olivarum, & Græcos Jnterpretes, gnaros significationis, quam diximus, vertisse, τὰ πίτυρα. Nonne vero simillimum est, Babylonias, quæ Magicis nugis erant addictissimæ, veritas, ne diu illic excubare cogerentur, se à sortilegis hujusmodi non abstinuisse: maximè, quas nec divitiæ, nec forma, nec genus commendabant? quærebant ergo istæ bliteæ ac diobolares undecunque lenocinium, & Pityrides olivas, quæ vilioris pretii, insumebant flammis. Et quam vesanæ flammam alebant inclusam, longè aptius atque expressius ossium, quam furfurum, adustione contestabantur: Simul enim sic quærebantur de duritie ac rigore hospitum, & adventorum, quos illarum nulla miseratio tangebat: ideò non solas olivarum carnes, sive cutim, (nam in his olivis cutis potius, quam caro) sed solidas olivas cum nucleis osseis adolebant: nimirum duritiem illam sibi invisam hoc pacto mollituræ, & corda ferrea amore liquaturæ. *Si furfures vertas, perit elegans ista mysterii magici analogia,* Verisimile est, cum ista urerent, addidisse, quod solemne reperio; sic se ossa hospitum urere, vel, in hospite suo hæc se adolere: vel precari, ut sic hospites earum amore torrerentur: quæ omnia *Virgilius* & *Theocritus* posuere. Demum sic adusta & in cineres redacta spargebant in ventum, jacta trans caput. *Theocritus:* ἄλφιτά τοι πρῶτον πυρὶ τάκεται, ἀλλ' ἐπίτασσε. Farinæ primum, igne liquescunt, sed disperge. *Virgilius:* Fer cineres Amarylli foras, rivoque fluenti transque caput jace. Sed hæc satis vel nimis de loci *Baruchi* explicatione, quæ si probetur, benè erit; sin, meliora expecto. *Hæc Delrio.* Quid si dicamus ad versionem Latinam Græci textus Baruchiani, voculam *Ossa* hîc ab Interprete positam, esse ex Hebraismo,

mo, vel potius Chaldaismo (ad Captivos enim Babyloniæ detentos hæc epistola missa fuit) desumptum, & reverà significare lignum, אַצְוָא רְדִיקְלָא *Azvva dedikla*, lignum cingens palmam, *vid. David. Cohen. de Lara, Lex. Thalmud. Rabbin. h. v. pag. 17. Col. 4.* Hinc אַצ *Az* lignum, & per consequens *assa* sive *ossa olivarum* nihil aliud significare, quam ipsissimum lignum, *lignum olivarum*, quod aliàs, attestantibus Rabbinis, propter sui suffitum, & reliquas, quas adscribunt, virtutes (sicut quoque oleum olivæ, ori applicatum) *add. θ. h. supr.* superstitiosè olim ad excitandam amoris Sympathiam potens habebatur. *Assa* enim אַסָא generaliter fruticem ligni olidi denotat, Ein wohlriechendes Holtz / idque in linguâ Chaldaicâ, quod in textu Hæbraico, הדס *hadas vocatur*: אַסָא הוא הדס *Assa hu hadas.* Sic myrtus propter sui fragrantiam vertitur *hadas, Esai. 55. v. 13. add. Cohen. de Lara, l. c. pag. 41. Col. 3.* Nec fortè alia erit interpretatio *Esther. cap. 2. v. 7.* ubi Regina Esther nominatur *hadassa*, quod etiam retinuit *Osiand. ad h. l. pag. 212. b.* procul dubio à redolente ungvento, ad cujus confectionem ejusmodi fragrantia ingredi poterant. Nec hæc absolutè me opinio fefellit: incidente quippe discursu cum amico nostro *Dn. Zarfossi*, Rabbi converso, interque nos agente, de cætero satis docto, hujus mei asserti obtinui assensum & confirmationem. Præterea nunc non opus habebit timere *Delrio*, quod, si ἐπίτυρα furfures vertas, pereat elegans mysterii magici analogia: furfures quippe significare poterunt quælibet ramenta, ferragines, & *assa*, hoc est ligna minutatim concisa, quæ suffimentis, respectu fumigationis, aptiora videntur, adeoque hæc mysterium prædictum magicum magis promovere valent. Interim liberum esto super hoc cuilibet Philologo, & respectivè Christiano, textum sacrum evolventi judicium.

Thesis XXIII. Tantum de Amoris Venenati dabilitate, causisque & effectibus, quà personam afficit; pauca etiam de illicitâ *affectione erga res* tradenda veniunt: quanquam verò illa rarior sit repertu, tamen, quin absolutè impossibilis non sit, sed eodem modo, uti personarũ desiderium, imprimis per Diabolũ cooperantem, causari dabilisque esse possit, propter hactenus longius latiusque discussa, non dubito. Fabulam interim (etiamsi, ut jam monitum, res in se & in abstracto contradictionem non involvat) revera

edo-

redolet, atteſtantibus *Joſeph. Quercetan. in Dietetic. Polyhiſtor. Sect. 1. Cap. 5. pag. 43. Hermann. Hermes. Faſcicul. Jurispubl. c. 31. n. 83. pag. 566. in fin. Henric. Kornmann. de Miracul. Mortuor. c. 14. Limn. J. P. lib. 7. c. 2. n. 4. pag. 54. Henric. Salmuth. in Reſponſ. Juris pro matrimon. princip. cum Virgine nobili, pag. 27. Caſpar. à Rejes, Camp. Elyſ. Qu. 29. n. 14. pag. 353.* quod Franciſco Petrarchæ de Carolo Magno, Imperatore alioquin ſui temporis maximè religioſo, retulerunt Templi Aquisgranenſis Cathedralis B. V. monachi, cujus verbis, quantumvis prolixioribus, rem tamen cum omni circumſtantiarum fictione rotundè exprimentibus, mihi hâc vice, pace Lectoris Benevoli, uti liceat; Vidi, inquit ille, Aquenſem Caroli ſedem, & in templo marmoreo verendum barbaris gentibus illius Principis ſepulchrum: ubi fabellam audivi, non inamœnam cognitu, à quibusdam templi ſacerdotibus, quam ſcriptam mihi oſtenderunt, & poſtea apud modernos ſcriptores accuratius etiam tractatam legi, quam tibi quoque, ut referam, incidit animus: ita tamen, ut rei fides non apud me quæratur, ſed, ut ajunt, penes Autores maneat. Carolum Regem, quem Magni nomine æquare Pompejo & Alexandro audent, mulierculam quandam perditè & afflictim amaſſe memorant, ejus blanditiis enervatum, neglectâ famâ (cui plurimum inſervire conſueverat) & poſthabitis Regni curis, aliarum rerum omnium, & poſtremò ſui ipſius oblitum, diu nullâ in re prorſus, quam niſi illius amplexibus acquieviſſe, ſummâ cum indignatione ſuorum, ac dolore. Tandem cum ſanæ ſpei nihil ſupereſſet, (quoniam aures Regias ſalutaribus conſiliis inſanus amor obſtruxerat) fœminam ipſam malorum cauſam inſperata mors abſtulit, cujus rei ingens primum in regiâ, ſed latens gaudium fuit, deinde dolore tantum priore graviore, quantum fœdiore morbo correptum Regis animum videbant, cujus nec morte lenitus furor: Sed in ipſum obſcœnum cadaver & exangve translatus eſt, quod balſamo & aromatibus conditum, onuſtum gemmis, & velatum purpurâ diebus & noctibus, tam miſerabili, quam cupido fovebat amplexu, dici nequit quam diſcors, & quam malè ſe compaſſura conditio eſt amantis ac Regis, nunquam profectò contraria ſine lite junguntur. Quid eſt autem Regnum, niſi juſta & glorioſa dominatio? contra quid eſt amor, niſi fœtida ſervitus & injuſta. Itaque cum certatim ad amantem ſeu rectius

ad amensem Regem, pro summis Regni negotiis legationes gentium, præfectique & provinciarum præsides convenirent, & in lecto suo miser, omnibus exclusis & obseratis foribus, amato corpusculo adhærebat, amicam suam crebro, velut spirantem responsuramque compellans, illi curas laboresque suos narrabat, illi blandum murmur & nocturna suspiria, illi semper amoris comites lachrymas instillabat, horrendum miseriæ solamen, sed quod unum ex omnibus Rex alioquin (ut ajunt) sapientissimus elegisset. Addunt fabulæ, quod ego nec fieri potuisse nec narrari debere arbitror. Erat eâ tempestate in aulâ Colonienſi Antistes, Vir, ut memorant, sanctitate & sapientiâ clarus, nec non comis & Consilii Regii prima vox (Archi Episcopum Turpinum eum vocat *Hermes, l. c. pag. 567.*) qui Domini sui status misertus, ubi animadvertit humanis remediis nihil agi, ad Deum versus, illum assiduè precari, in illo spem reponere, ab eo finem mali poscere, multo cum gemitu, quod cum diu fecisset, nec desiturus videretur, de quodam illustri miraculo recreatus est. Siquidem ex more sacrificanti, & post devotissimas preces pectus & aram lachrymis implenti, de cœlo vox insonuit, sub extinctæ mulieris lingvâ furoris Regii causam latere. Quo lætior, mox peracto sacrificio ad locum, ubi corpus erat, se propripuit, & jure notissimæ familiaritatis Regiæ introgressus, os digito clam scrutatus, gemmam perexiguo annulo inclusam sub gelidâ rigenteque lingvâ repertam festinabundus evexit. Nec multò post rediens Carolus, & ex consvetudine ad optatum mortuæ congressum properans, repentè aridi cadaveris spectaculo concussus obriguit, exhorruitque contactu, auferri id ocius ac sepeliri jubens: inde totus in antistitem conversus illum amare, illum colere, illum indies arctius amplecti, denique nil nisi ex sententiâ ipsius agere, ab illo nec diebus nec noctibus avelli. Quod, ubi sensit vir justus ac prudens, optabilem fortè multis, sed onerosam sibi sarcinam abjicere statuit, veritusque ne, si ad manus alterius veniret, vel flammis consumeretur, domino suo aliquod periculum afferret, annulum in vicinæ paludis prærltam voraginem demersit, Aquis fortè tum Rex cum proceribus suis habitabat, ex eoque tempore cunctis civitatibus sedes illa prælata est, in eâ nil sibi palude gratius, ibi assidere, & illis aquis mirâ cum voluptate, illius odore, velut suauissimo, delectari.

Postremò

Postremò illic regiam suam transtulit, & in medio palustris limi immenso sumptu jactis molibus palatium templumque construxit, ut nihil divinæ vel humanæ rei Eum inde abstraheret. Postremo ibi vitæ suæ reliqvum egit, ibique sepultus est.

Thesis XXIV. Sufficere hæc mihi videntur ad præmuniendum adstruendumquè amorem sæpe dictum Venenatum, & vindicandos JCtos nostros Criminalia pertractantes, quibus, quasi re vanissimâ hactenus ad pœnæ mitigandæ pronunciationem commotis, falsam admodum dicam *Bokelius* cum suis assectis scripserat; quare jam, recto tramite, ad *Jus* ex eo in forô nostro tàm *Theoretico*, quàm *Practico* eliciendum me accingerem, illudque plenâ manu tractarem, nisi Tibi prius, L. B. notificare deberem, chartulis meis usque huc typis expressis, jam demum mihi, quamvis nimis serò & ferè post festum, in manus venisse opus de Fascinatione Magicâ *Dn. Johann. Christ.* **Frommanns** / ubi *lib. 3. part. 6. cap. 12. pag. 816. & seqq.* hanc de philtris materiam ex professo examinat, eamque ita ex voto meo persequitur, ut, licet ipsum antea, quod cum Deo & meâ bonâ conscientiâ contestor, non viderim, aut ejus scripta inspexerim, tamen ex post facto, toto contextu perlecto, non crediderim, me magis fideli præeunte Doctore uti potuisse. Inducit enim Jlle *§. 4. pag. 818.* eandem objectionem de visu, quam ego pertractavi *thes. 3.* item *§. 5. pag. 819.* cum *Sperling. Instit. Phys. lib. 1. C. 6. Q. 2.* & *Rolfinck. libr. 2. Vegetab. Sect. 1. cap. 16.* ad illustrandam doctrinam Sympathias & causæ solitariæ cum sociâ concurrentis (de quibus *thes. 1. 2. & passim.* egi.) proponit distinctiones inter cognitionem naturalem sensualem, & intellectualem; similiter inter sensum naturalem & animalem: ita ut, sensus naturalis beneficio, ex celebratissimo Rolfinckio ostendat, quodlibet congruum sibi alimentum appetere, & quod gratum est, percipere illove gaudere. Hujus quippe generis esse vult naturalem illam rerum ad se invicem *inclinationem* & à se invicem *aversionem*, quam Sympathiam & Antipathiam vocamus, quæ, absque judicii interventu, naturalibus motibus sine dubio ad numeranda. Sic philtra, juxta *Eundem*, amorem naturalem parere possunt, ut persona certa, non sensuum, sed naturæ impulsu & motu, per naturalem inclinationem seu sensum naturalem, quæ cognitio naturalis vocari potest, amore prosequatur eum, qui philtrum, non promiscuè quodvis à quavis aniculâ commendatum, sed con-

veniens, benè elaboratum, prudenter exhibuit: addenda sunt, quæ de amoris actuatione & augmentatione ibidem discurrit, quæ & ego tetigi *thes. 6.* Confirmat præterea §. *6. pag. 821.* responsionem meam, quam dedi ad *Bokelii* & sociorum *argum. 4.* thes. 2. item *arg. 6. 7. & 8.* thes. *3.* Imò subjicit §. *10. pag. 823. & §. 13. pag. 825.* exempla Olympiadis & Caroli M. de quibus scripsi *thes. 6. & 23.* Sic prostat historia *Jordani* §. *12. pag. 825.* quam habui *th. 14. in fin.* pariter §. *6. 7. 8.* ducuntur argumenta ab autoritate, ratione ac experientiâ Philosophicâ depromta, quæ sparsim interposui Dissertationi præsenti; tametsi non diffitear, plura loca *Ibidem* inveniri. Ultimum adnectere libuit discursum, quem §. *9. pag. 823.* de venenatione magicâ habet, cum faciat ad illustrationem *thes. 9.* Nulla equidem, inquit ille, Diabolo in voluntatem humanam directè competit jurisdictio aut coactio, ut causalitate physicâ pro lubitu in personæ certæ *amorem* hominem impellere queat: solus enim Deus, directâ & immediatâ motione, mentem & voluntatem hominum movet. Indirectè autem & mediatè Dæmon in voluntatem agere atque amorem excitare novit mediante ipsâ naturâ. Ordini enim naturæ ac terminis Dæmon, de se naturæ expers, ita est adstrictus, ut ejus operâ opus habeat, si velit ex permissione DEI effectum naturalem promovere. Efficit autem illud; cum res amorem naturalem excitantes, homines, seu ipse, seu per magos, docet præparare & occulto modo propinare. Res istæ è regno tàm vegetabili & minerali, quàm animali, præsertim homine ipso, qui alterius amorem desiderat, desumuntur. Ex harum usu, excitatâ cognatione sympatheticâ, desiderium unionis cum eo, qui philtrum exhibuit, oritur, idque eò facilius, quo certius spiritus iste spiritibus humanis & phantasiæ hominis (sive philtrum verum, sive absurdum accepit) se jungit & associat, objecti, in quod cogitationes dirigi debent, species suscitat, & occultâ inspiratione ac persvasione illius pulchritudinem assiduè cõmendat. Ita demum fieri potest, ut animus amatæ in amantẽ cõmoveatur, maximè si amans philtri exhibiti fiduciâ eam accedat, ore svavissimo rosas loquatur, manu liberali eam sibi devinciat, & humanitatis officia quæq; exhibeat. &c. Hæc *Dn. Fromman.* Sed nunc iterum ad jura nostra pergã: Philtrato igitur nullum adeò validum in Jure nostro Positivo actum celebrat, sive manumissionem, legitimationem, adoptio-

optionem aut emancipationem cordi habueris, quin iterum, fraude compertâ, pœnitere queat: licet aliquando pœnitentiâ opus non sit; sed actus in se & naturaliter nullus habeatur, si venenato amoris furore prævio, ille celebratus fuerit. Leves quidem ex Jure Civili objectiunculæ exîtrui possunt, videlicet (1.) contra *Manumissionem*, quod illa sit (α) favorabilis, & causâ semel adprobatâ, sive verâ, sive falsâ postmodum reperiatur, non retractetur, *§. 6. J. Quib. ex Caus. manumitt. non licet.* Sed hic respondeo, constare omninò de verâ & non coactâ, sive dolosè emendicatâ, manumittentis voluntate, cui solummodò obstabat, quod apud Consilium ratione probationis eandem non legitimè proposuerat, aut introduxerat; qui nævus, propter favorem libertatis manumittenti condonabatur, licet propter prædictam Consilii defraudationem extra ordinem corripi potuisset, si assessores Consilii voluissent. Multò magis pro me loquitur *l. 26. §. 8. ff. de fideicomm. libert.* ubi libertas per manumittendum sub & obreptitiè à Prætore, vel quod hîc eodem recidit, à manumittente obtenta, invalida erat. (β) Non obstat *l. 8. §. 17. ff. de inoffic. Testam.* ubi itidem de voluntate manumittentis testatoris ex testamento apparebat, quia tamen injustè exhæredatus intra quinquennium querelam non instituerat, & nihilominus post illud elapsum, ex magnâ & justâ causâ, testamentum rescindi debebat, singulari favore receptum fuit libertates servari, dummodò quilibet liber dictus victori per querelam inofficiosi viginti aureos solveret. (2.) Contra *adoptionem* urgendus esset idem affectionis favor, proati quoque contra *legitimationem* & *emancipationem.* Ast in utroque rursus vertitur singulare præjudicium rei familiaris (α) quod aliàs pater nec augere familiam voluisset, & fortè liberis legitimè natis in jure jam quæsito derogare, sicuti nec (β) in dimissione ex potestate, bonis per emancipatum jure patrio acquirendis privare: De *arrogatione* intuitu arrogandi, ut & *tutelæ* & *curæ administratione* idem juris esto; *quoad prius*, causa urgetur, quod arrogatus cum tota suâ familiâ transeat in potestatem patris arrogantis, & tunc gravis quæstio oriatur, an honesta sit expediatque pupillo, sive ille pubes sit, sive impubes, *arg. §. 3. J. de adopt. Quoad posterius*, quod tutor & curator utiqe suspecti sint, qui se ingerant. Tutela enim & Cura potius onera sunt (inter privatos, secus inter principes Imperii nostri

ſtri Romano Germanici, quibus magis in honorem vergunt) quibus nemo ſe facilè, niſi propter privatum emolumentum, ſubjicere velle præſumitur. Nec hoc quicquam purgat, quod aliquis ſe à patre tutorem vel curatorem datum, & per conſequens in poſteriori à Magiſtratu confirmandum eſſe prætendat, per leges notiſſimas; Malevolum quippe hujus propoſitum non relevat, ſi philtratio peracta aliunde legitimè doceri queat. De *donatione* nudâ idem pronuncio, eò quod illa magis ſit facti, & animum donantis liberalem, non verò per philtra, ſive *poiſons pour faire aimer*, coactum & præperatum (cum alias philtrorum propinatio in jure Civili ſit prohibita & odioſa) præ ſe ferat. De reliquis *Veris ac Quaſi Contractibus*, item *aliis factis*, quocunque modo res noſtras afficiant, ſimile eſto judicium, modò diſtingvas in Jure noſtro, inter dolum Contractui cauſam dantem, & in eundem incidentem; iterumque inter Contractus, Bonæ fidei & Stricti juris, de quibus Regulas Te docebunt noſtri & Civiliſtæ, & Canoniſtæ, & Practici moderni.

Thesis XXV. Altioris indaginis res eſt *punctum matrimoniale*; quamvis enim hoc contractus non ſit, juxta communem Doctorum opinionem, ſed ſolummodò per ſtipulationem, adeoque per contractum fieri dicatur, & ad jus perſonarum pertineat, *vid. Ludw. Diſp. 2. theſ. 2. lit. d.* (quod tamen ſolùm in gratiam Civiliſtarum credo, revera enim ſubeſt contractus innominatus: *Do tibi corpus meum, ut mihi des tuum;* quò non obſcurè faciunt *l. fin. C. de Repud. Nov. 22. c. 19.* omniaque concurrere poſſint quæ ad jus rerum & contractus eſſentiam ſpectant: quæ etiam fuſiùs deducere poſſent ſi tempus & hujus loci materia paterentur) nihilominus, ne theſin priorem reſcindere deberem, huc reſervavi. Afficit autem Philtrum *cauſas matrimoniales*, quà reſpiciunt matrimonium vel *contrahendum*, vel *contractum*. *In Matrimonio contrahendo* exhibentur ſponſalia, circa quæ (ut & omnes tàm antecedentes, quàm ſubſequentes materias) conſiderare quis valeret in Philtrato adhibitum dolum vim atque metum: ita quidem, ut *Dolus* Philtrantis, *ſi cauſam dederit*, juxta commune Juris noſtri axioma, actui ſponſalitio, faciat eundem ipſo jure (naturali, nam de civili quid dubii incidit propter *l. 1. l. 2. ff. de Sponſalib.* & cognitam ſtipulationis naturam, quæ, tanquam

quam contractus ſtricti juris, propter dolum non ſtatim annullatur: quamvis iterum res ſit ſolubilis ex eo, quod nudo conſenſui poſtmodum idem robur in ſponſalibus conceſſum fuerit, *vid. Eckolt. §. 5. & Hahn. §. 6. h. t. add. Dn. Struv. S. I. C. Exerc. 29. thes. 4. & Exerc. 29. theſ. 4. & Exerc. 8. thes. 11.*) nullum; ſecus *ſi inciderit*, ubi purgatione opus habet, ſalvo alioquin manente negotio geſto: *Metus* autem atque *Vis*, cum voluntatem, tametſi coactam, præſupponant, reſciſſione denuò indigeant, ſi quis promiſſum ſervare nolit, præprimis in actibus moraliter in utramque partem flexibilibus. Aſt hæc, ſicuti in ſe ſunt veriſſima, ita in præſenti meo de Philtris Diſcurſu, omnem ſcrupulum moralem non abſumunt. Quocirca (1.) rurſus eum, cui ignoranti æque ac incauto Amoris Venenati poculum fraudulenter propinatum eſt, mihi imaginor *partim* furibundum, *partim* placidum & dictato rationis relictum. Quod *ſi neſciens ſe dolosè philtratum eſſe, vi veneni adhibiti, ex quo maximè violentus affectuum motus pariter ac impetuoſus amoris furor, rationis imperium abhorrens atque reſpuens, concitatur*, ſponſalia contraxerit, *ſive* cum ejusmodi ſubjecto, quod per ſe aliàs, Philtro licet non adhibito, adamaſſet; *ſive* cum tali, quod non amaſſet, illa ſunt ipſo jure nulla: quare novo ſemper conſenſu ad ſui valorem opus habent. Caſum in terminis habuit *Matth. de Afflict. Conſtit. Neapol. l. 3. Rubr. 41. n. 2. vers. mala noxia. pag. 206.* quem, contextu licet ſemi-barbaro, ita explicat: vidi ego proceſſum, in quo quædam mulier inhoneſta philocapta de uno juvene pulchro, rem Veneream habuit cum eo per plures menſes; in tantum, quod eam amore heroico amavit: & poſtea propter mala medicamenta, quæ dedit illi juveni, alienavit mentem ejus taliter, quod induxit eum ad contrahendum matrimonium per verba de præſenti: & tunc neſciebat quid ageret: *& per multos dies ſtetit ſicut una ſtatua:* & poſtea propter bonas medicinas aſſumptas reverſus fuit: & dedit petitionem in Curiâ eccleſiaſticâ: quia illud non fuit matrimonium, quia non fuit ejus conſenſus.

THESIS XXVI. *Sed quid (2.) ſi dolosè Philtrum quidem applicatum ſit, aſt non furor aut alius vehementior appetitus commotus; quin potius philtrans inextinguibile & inſolitum deſiderium ſui apud Philtratum conciliaverit, idq; in tantum, ut niſi ſponſalia ſubſequantur, is ſanita-*

nitatis, si non vitæ totius, aleam subire cogatur; an & tunc sponsalia annullanda sunt? videtur itidem dicendum primâ fronte quod sic. Bona siquidem fides ubique & ad cujusvis Contractus essentiam desideratur, cui nihil tam contrarium, quam dolus; Hinc tot vicibus lege cautum, ut nemini dolus suus prodesse aut lucrum afferre, sed potius nocere, imò, quod gestum est, annullari debeat. Verum enim verò, cum intellectus & voluntas, præcisè tales, hoc philtro nec afficiantur, nec, ut supra dixi *thes. 4.* affici queant, non judico hæc sponsalia nulla, sed potius rescindenda: adest enim penes philtratum intrinseca electio, quanquam foras, uti par est, non absolutè libera. Non obstat, bonam fidem cujuslibet contractus essentiam ingredi, & quemlibet dolum, essentiam turbantem, excludere: quia hoc quoque loco idem obtinet; cum dolosè alteri philtrum propinans, quod tamen, ut præsuppono, amentiam non secum trahit, *dolosa quidem faciat contractûs præparatoria*, affectus inordinatos præparando; *ipsum* interim *immediatè* Contractum, respectu consensus personæ philtratæ, *non simul ingrediatur*, sed, si hoc fieri debet, alias plures dolosas persvasiones, quibus præter affectuum commotionem mens humana obfuscari & excœcari potis est, efflagitet. Idem responsum circa *vim & metum* (quæ duo, tametsi sciam formaliter differre, *vid. Dn. Schilter. Philosoph. Jur. cap. 7. §. 16. & seqq. p. 272.* in doli, qui ignorantiam involvit, oppositione conjungere volui) *si causam sponsalibus dederint* (e. g. si aliquis coactus fuerit philtrum ebibere, aut antequam sponsalia contrahat, se poculum amatorium eluisse, aut quid simile comedisse cognoverit) se offert. Licet enim hisce, quà in Contractibus, ratione evitationis, attendi queunt, dolus regulariter (nam & per culpam idem sæpe evenit) causam suppeditet, tamen sponsalia, sicut & quisque alius contractus, jure stricto & per se valida erunt, *confer. Grot. l. 2. c. 11. §. 7. n. 2.* ac non, nisi per judicis competentis restitutionem in integrum, rescindenda veniunt; argumento eorum, quæ ferè in simili habentur *in l. si. mulier. 21. §. penult. ff. Quod met. Caus. Can. merito. 15. qu. 1.* Is siquidem, qui se philtratum novit, nec non amoris œstrum venenis in se concitatum compertum habet, propter inhabilitatem turbati sui subjecti, effectivè omninò caret ordinariis intellectus, atque, in re alias indifferente extrinsecus etiam liberis, voluntatis operationibus, &

semper

semper intra se latentes experitur appetituum agitatorum convulsiones: quibus, etiamsi resisti per animæ rationalis imperium queat; interim tamen corpus miserrimè vexatur, anxietatur, & non rarò maciè suâ in totum ferè contabescit; quare Martyr ejusmodi ex meritâ commiseratione, ad firmiter in Contractu subsistendum *per jura* (imprimimis naturalia) *quæ*, (quatenus omnem injustam depauperationem, sive ex re, sive ex contractu, sive ex facto oriatur, respuunt, & juris cuique competentis attributionem sedulò inculcant) *ejusmodi processum seriò improbarunt*, non adigitur, *consul. Dedekenn. Consil. Theologic. vol. 3. n. 4. pag. 82. Paul. Cyprœus, de Jur. Connub. cap. 13. §. 64. pag. 546.* Sed hæc quidem secundum jus morale & dictatum rectæ rationis, abstracto jure positivo cujusque loci, ita sese habere existimo; interim leges Civiles & Canones Pontificii, quibus adstipulatur Jus Consistoriale maximæ partis Statuum Augustanæ Confessionis, sponsalia, sive per dolum, sive per vim & metum contracta, nulla pronunciant; quare, cum hæc omnia in Philtris etiam occurrant, de iisdem idem meritò ferendum est judicium, *jung. l. 14. C. de Nupt. cap. 14. x. de Sponsalib. Carpz. Jurisprud. Consist. l. 2. Def. 27. & seq. pag. 41. Dn. Struv. Ex. 8. thes. 11.* Evolvendus hic etiam erit *Johann. Aloys. Ricc. part. 6. Decis. Collect. 2117. pag. 32.* qui dicit, in quâdam facti contingentiâ in Curiâ ArchiEpiscopali Neapolitanâ fuisse conclusum, quod promissio de ducendo in uxorem facta prope carnalem copulam ab amore capto (in genere, & hinc multo magis à philtrato, sive ipsa persona per copulam Veneream stuprata id propinaverit, sive tertius quispiam) non inducat sponsalia.

Thesis XXVII. Ex iis insimul, me quamvis tacente, facillimum erit judicatu, *quid (3.) sentiendum de dolo & metu, qui solummodò in sponsalia incidunt, v. g. si persona animum saltem habuerit cum Philtrante contrahendi, & nondum insecutis sponsalibus, Philtrum eidem insciæ & adhuc secum deliberanti applicetur, per quod illa postea consummata sunt?* adopinor siquidem philtratum ad hæc sponsalia servanda naturaliter adstringi: quoniam ex parte ejus *libera fuit intentio* contrahendi, imò etiam *libera contractus consummatio*, si animam rationalem, quæ cogi nequit, respexeris; quamvis appetitus sensitivus ad necessitatem videatur alligatus. Quod tamen ligamen, cum

cùm sit absque jure competente atque quæsito, adeoque injustè à philtrante adhibitum, ille utique tenetur philtratum, quocum egit, in integrum restituere, *vid. §. 34.* quia ille jus habuit *tùm* ne decipe-retur, *tùm* ne cogeretur; *illud* ex naturâ Contractus, *hoc* ex naturali libertate, *add. Grot. l. 2. c. 17. §. 17.* Jure Civili, Canonico, et Moribus nostris videtur modò allegatum decisum rursus observandum esse, idque propter famosissimum *capit. 14. X. de Sponsalib.* & satis Dd. cognitam *l. 14. C. de Nupt.* Non enim, ut supra monitum, aliquid dolosi & cum violentiâ injustâ conjuncti principii Sponsalia, inchoata licet, ingredi aut concomitari debet, utpote ad quorum omnimodam consummationem consensus semper requiritur liberrimus. *Non obstat*, quod hujus personæ philtratæ affectus non sollicitentur ad contrahendum *absolutè* (volebat quippe ab initio contrahere) sed *solùm respectu hujus circumstantiæ*, ad contrahendum ferantur forsitan *minus circumspectè*; qui processus, sicuti in aliis vitæ contractibus toleratur propter cordis humani duritiem & perversitatem, pariter ac quò felicius multæ lites, cum præsentissimo Reipubl. incremento, abbrevientur; ita hic quoque, ratione validitatis, in puncto sponsaliorum irritus ex hoc unico fundamento non redditur; tametsi pars philtrans, ratione exorbitantiæ in medio applicandi legibus prohibitæ, & magistratui, & parti adversariæ, si damnum evenerit, ad satisfactionem obligetur. At imò (ut pauca reponam) hæc assertio in aliis contractibus ferè omnibus legitimè se habet, nec non in foro quotidiè secundum effata allegatorum jurium positivorum pronunciari videmus: Verum in sponsalibus aliisque paucis (de quibus *Dn. Struv. Exerc. 8. thes. 11.* & Dd. passim) ejusmodi distinctio planè respuitur, & tanquam in exceptione à Regulâ declinante, susque deque habetur. *Sed quid si (4.) philtrata persona philtrantē primitùs infecta fuerit ejusque affectionem ambierit, & postea eandem deseruerit, adeoque causam aliquam vel ansam ad philtrum insecutum dederit?* Nec tunc sponsalia *de Jure positivo* valere credo; *de Jure naturali*, per supra fusissimè tradita, ad instantiam partis læsæ rescissioni & restitutioni in integrum ea subjacere affirmo. Nec valet hic axioma Moralistarum: Qui causam dedit, cur vim pati aut metu cogi debeat, habet quod sibi imputet; loquitur enim de vi licitâ, magistratui fortè in subditum, aut, si ille deficiat, pari in parem competente, metuque justo; quibus, tanquam

ter-

terminis habilibus, positis, optimè statuitur, quod involuntarium ex voluntario ortum habens moraliter pro voluntario habeatur, quo de *vid. Grot. l. 2. c. 17. §. 18.* Cæterum, quoad hoc thema propositum, probabile argumentum peti potest ex præjudicio *Carpzoviano*, quod allegat *in Jurisprud. Consist. l. 2. tit. 2. Def. 29. num. 15. pag. 45.* si modò, loco minarum, philtra, quæ metum & angorem perpetuum involvunt, posueris.

Thesis. XXVIII. *Quid verò, si (5.) philtrata persona philtrantem insectata fuerit ejusque affectionem ambierit, & philtrans in ipso sponsaliorum Contractu, aut in epulis, quæ eorum celebrationi sæpius adhibentur, ad matrimonium insecutum eò felicius promovendum, philtrum illicitum applicuerit?* Non putarem tunc, propter animum, qui interceſſit, ad contrahendum liberrimum & paratiſſimum, ſponſalia reſcinenda, *tàm* de Jure Naturali, *quàm* Poſitivo; Sed potius dolum per philtrum adhibitum purgandum eſſe, *ſive* directò, *ſive* utiliter, actione ex conrractu, hoc eſt, parti læſæ concedendam actionem perſonalem ad ſuum intereſſe obtinendum à lædente, quocunque modo illud turbatum fuit, ſalvâ Magiſtratus pœnâ, de quibus in ſeqq. *Aliud dicendum, ſi (6.) perſona philtrata philtrum ſe accepiſſe animadvertens, adverſus philtrantem inimicitias concipiat irreconciliabiles ſive capitales:* de quibus *Carpzov. lib. cit. tit. 10. Def. 176. pag. 261. & ſeq.* (ſibi ipſi contrarius *in Jurisprud. Forenſ. part. 2. Conſt. 24. Def. 16. pag.*) quia tunc non philtrum, ſed inimicitiæ reſciſſionem cauſantur. *Quæ de malevolo philtrantis propoſito,* quippe quod dolum vim & metum conciliavit, *dicta ſunt, eadem etiam (7.) de culpâ, non ſolum latâ, ſed & levi, & leviſſima* (quam alias imputativam voco) *pronuncio;* v.g. ſi, ex nimio honeſtarum nuptiarum amore, aut affectione, ſincerâ licet, interim ratione mediorum applicatorum exorbitante, innocenti philtrato negotium conficiatur: quia *non tam* mens philtrantis, quæ aliquando bonam intentionem præ ſe fert, *quam* jus philtrati absque commerito turbatum, reſpiciendum venit. *Sed quid ſi (8.) juramentum acceſſerit?* Arctiſſimum quidem eſt vinculum juramentum, per quod cum Deo cenſetur contractum, *capit. Debitores. X. de Jure jurand.* adeò, ut torturam animæ non obſervanti infligat, *Cothmann. lib. 4. Conſil. 3. n. 86.* Conſentit *Eberhard. à Weihe, l. 2. de fœderib. pag. 70.* Licet, inquiens, Socrates exceperit amantes, tamen in eo fœdè aber-

ravit, obſervante *Cyrillo, lib. 6.* contra *Julian. fol. 47.* Non enim amatoribus omnis licentia data, neque à Diis, neque ab hominibus: Impii itaque & pœna digni ſunt, qui juramentum amoris calore præſtitum putant negligendum. Pœnam itaque debitam iis magiſtratus imponat. Sic qui amatoris œſtro percitus puellæ juramento matrimonium promiſit, id, niſi aliud prohibeat, ſervabit, juxta Setserum, quem citat *Dn. Struv. Exerc. 17. theſ. 16.* Mihi, ut quæ mea mens ſit, aperiam, nec hæc tanti ponderis eſſe videntur, ut philtratus ubique, & absque omni relaxationis ſpe, ea obſervare debeat. Ad meliorem rei enodationem præſuppono, notiſſimam eſſe diſtinctionem *inter jurare, & verba* ſolummodò *jurantia proferre*, ita quidem, ut de eo Philtrato quæſtio principaliter hîc formanda ſit, qui animo rationis compote deliberatoque, ac *verba, quæ prolaturus eſt, probe intelligente*, quamvis per philtrum propinatum coactionem aliumque metum attraxerit, jusjurandum præſtitit; *hunc naturaliter obligari credo*, ac vera facere teneri dicta, quorum DEum adhibuit non ſolum teſtem, ſed & perjurii vindicem: non enim perſona ſola reſpicitur, cui juratur, ſed is, qui juratur, DEus, qui ad obligationem pariendam ſufficit, *vid. Balduin. Caſ. Conſc. 12. lib. 2. Grot. l. 2. cap. 13. §. 15. ibique Dn. Præſes, in Not. pag. 393.* Contra verò firmiter opinor, in eum, qui, *non putans ſe jurare*, nihilominus, ad præviam fortè alterius recitationem, ignoranter verba elocutus eſt jurantia (ut de Cydippe narratur) locum habere poſſe, quod ex Euripide deſumtum ei tribuit, *Ovidius*: Quæ jurat mens eſt, nil conjuravimus illa. Conſilium, prudensque animi ſententia jurat, & niſi judicii vincula nulla valent. *In foro noſtro poſitivo* juramento adhibito fortior vis attribuenda non eſt, quam rei principali, cui adjicitur, quippe quod ſequitur naturam negotii & actus, *vid. l. ult. C. de non numer. pecun. Gail. 2. Obſ. 23. n. 20.* nihilque addit actui, ſuper quo interponitur, *Zaſ. ad l. 5. num. 23. ff. de Condict. cauſ. dat. cauſ. non ſecut.* quemadmodum ſic etiam reſponderunt Scabini Electorales apud *Carpz. Jpr. Conſiſt. l. 2. tit. 2. Def. 28. n. 11. 12. 13.* Hinc, *cum ipſa philtratio ſponſalibus adjecta improbetur, eaque irrita & nulla reddere valeat, ut hactenus evici, meritò juramentum per philtrum elicitum earundem erit virium.*

Thesis XXIX. Colligo inſuper ex hoc (9.) *ne quidem copulam & benedictionem Sacerdotalem, tanquam aliquod ſaltem ſuperveniens, actui*

huic

huic plus juris, quam antea ex vero habuit, potuisse attribuere; quòd enim ab initio statim fit contra leges (*perfectas*, de imperfectis vide sis speciale judicium apud *Grot. l. 2. cap. 5. §. 16. n. 1.*) id ita est ipso jure nullum, ut quicquid subsecutum etiam sit, id pro nullo habeatur, nec per id antecedens confirmetur, juxta *l. 5. C. de Legib.* Consentiunt Theologi & Jcti Rostockienses apud *Dedekenn. Vol. 3. lib. 4. Sect. 8. n. 6. pag. 362. Consil. Theologic.* in casu, ubi mulier precatiunculis superstitiosis & arte Diabolicâ aliâ quendam ad se amandum incantaverat, in verbis: Auff Eure dritte Frage erachten Wir in Göttlichen und Weltlichen Rechten gegründet zu seyn / daß dißfalls zwischen gemeldten Personen / wann gleich dieselbigen sich mit einander verlobet / oder auch zusammen gegeben wären / keine rechtmäßige Ehe vollenzogen werden könne. Consimili ratione infero (10.) *non verificari, invitâ parte læsâ statuque adhuc vitioso durante* (puta quod persona venenata pristinæ libertati nondum restituta sit) *sponsalia philtrata in foro nostro positivo, etiamsi benedictioni Sacerdotali copula carnalis supervenerit*; quoniam hæc ad omnem intercedentem vim, dolum & metum purgandum, *quà talis est absolute*, non sufficit, sed copulam carnalem voluntariam futuramque spontaneam cohabitationem secum importat, *vid. Carpz. Jpr. Consist. l. 2. tit. 2. Def. 29. n. 11.* Consensus enim, non concubitus, facit nuptias, juxta *l. 30. ff. de R. J.* Non obstat, fœminæ, si dissolvatur matrimonium, fieri insignem injuriam; si imprægnata cogatur, amissa virginitate & pudicitiâ, Viro quoque carere. Jdem juris est in Mare philtrante, si, concubitu secuto, ad alendum partum & aliam satisfactionem, uti philtratæ pro defloratione injustâ, ita judici processum hunc lege interdictum vindicanti, præstandam adstringitur; Damnum etenim, quod hi sentiunt, id omne suâ culpâ videntur sentire, ut proinde nemini, nisi sibi ipsis, infortunium imputare possint, *l. 203. de R. J.* Nec quicquam facit, quod dicitur, sæpe accidere, ut ea quæ fieri non debent, si fuerint facta, non rescindantur, prouti distinctis exemplis corroborat *Dn. Pufendorff. de Jur. N. & G. l. 1. c. 6. §. 14. pag. 96.* Respondeo siquidem, hoc planè non esse perpetuum, cum tunc solùm procedat, quando id, quod lege (humana licet, malo namque in hoc contra *Grot. l. c. §. 14. nu. 4.* sic intelligere & eundem nullitatis effectum in vetante lege naturæ ac positivâ asserere) prohibente factum est, *vel* nominatim

& expreſſe ratum eſſe jubetur, poſtquam factum eſt; *vel* conſenſu ſuperiorum, absque abolendi intentione, toleratur: ita quidem, ut factum prohibitum ſic ſatis purgetur per adjectam pœnam expreſſam aut arbitrariam, quippe per quam prohibitio quoque vim ſuam, ſalvô alioquin manente actu commiſſô, exſerere poteſt, *add. Hahn. ad Weſemb. de Ritu Nupt. n. 3. ibique plur. alleg. Dd.* eleganter diſtingventes inter prohibitionem ſub *lege annullationis & punitionis.* Aſt hic ſanè leges noſtræ Conſiſtoriales parti læſæ minimè injungunt, ut invita lædenti cohabitet, ſed voluntati & diſpoſitioni ejusdem liberrimæ coactionem hanc venenatam relinqvunt.

Thesis XXX. Satis diſcuſsâ materiâ matrimoniali, quoad ejus validitatem & reſciſſionem vel annullationem in puncto philtrationum, ad aliud quoddam quæſitum ex prioribus ortum me accingo, videlicet *quid (11.) judicandum ſit de partu innocente, ſi conſociatio hæc conjugalis, propter probatam philtrationem, iterum fuerit diſſoluta?* Poſſet videri ille, præcedente matrimonio, ſive reſciſſo (tum maximè ſi jus morale ſpectaveris) *vid. ſupr. theſ. 27.* ſive nullo pronunciato, uti *thes. 25.* ex naturali conjecturâ & ob partis innocentis intercedentem actionem invitam, quaſi vulgò conceptus, niſi favorabilis fictio juris poſitivi *Civilis* & noſtri *Conſiſtorialis* contrarium manifeſtò doceret, *arg. Nov. 89. c. 8. in fin. junct. princ. Inſt. de Ingen.* Hæc quippe tempore conceptionis jam dum fingit jus embrioni quæſitum, ita ut ille, non obſtante eo, quod alter parentum, vel per doloſam, vel per culpoſam philtrationem, matrimonium contraxerit, legitimus & ad opificum collegia admittendus habeatur. Jdque ſecundum Praxin noſtram ſpecialiter notandum puto, per ea, quæ tradit *Dn. Struv. S. J. F. cap. 9. aph. 3. num. 13. in fin. & S. J. C. Exerc. 38. theſ. 23. cum Alvarott. Bald. & aliis Dd. ad §. naturales. 2. Feud. 26. Richter. de Succeſſ. ab inteſtat. ſect. 1. membr. 1. num. 4. Capriol. de Succeſſion. ab inteſt. l. 1. n. 16. Barry, l. 18. num. 16.* tametſi aliàs Jus Civile ſtrictum magis conditionem & innocentiam matris æſtimet, uti Caſus ſimilis per præjudicium JCtorum Helmſtadienſium confirmatus Menſ. Mart. 1604. reperitur apud *Hahn. ad Weſemb. tit. de his qui not. infam. n. 2. pag. 226. ſect. 3. punct. 3.* qui allegat argumentum *l. qui in provincia. §. 1. de Rit. Nupt. cap. cum inter. 2. & capit. ex tenore 14. X. qni filii ſint legit. ibique Henric. Cardinal. Hoſtiens. num. 3. Schneidevv. Inſt. de Nupt. num. 16.* Non obſtat

fiat mihi (quod tamen ad fulciendam opinionem supra dictam adscripsit *Dn. Struv. l. c.*) *capit. referente. X. qui filii sint legit.* in quo filii nec per paternam ignorantiam excusantur & propterea ad successionem bonorum paternorum non videntur aliquatenus admittendi, & per consequens non erunt legitimi, atque functionibus civilium honestorum digni. Arbitror siquidem illud conciliandum esse per hoc, quod loquatur de ignorantiâ quadam universalium, utputa si contrahentes, imprimis pater, prætendant se nesciviſſe matrimonia, contra interdictum divinum aut publicum Ecclesiæ atque Majestatis decretum, esse turpia & inhonesta. Hæc igitur ignorantia, cum habeatur pro affectatâ & vincibili, meritò operatur effectus *in capit. cit.* determinatos; nimirum illegitimationem, præclusionem à successione & id genus alia, *add. Sanchez. de Matrim. l. 10. Disp. 20. num. 11. in fin. pag. 396.* Ego interim in præsenti meo discursu occupatus sum circa ignorantiam particularium & facti singularis, v. g. si, præter opinionem & mentis destinatum conceptum, per venenum quis eò adigatur, ut opus habet annullationem aut restitutionem in integrum petere, ex causâ videlicet hac excusabili, quod ignorantia vincibilis eidem imputari nequeat.

Thesis XXXI. Jnstas: posito hoc, nihilominus præjudicari nequit embrioni, qui, antequam magistratui de jure illicitè contractarum Nuptiarum constat, jam conceptus est, & per consequens agere potest ex jure legitimationis jam quæsitò, per canonem communem: *Non debere calamitatem parentum* (præprimis matris, licet pater quoque ignorans, secundum supra tradita, in Praxi attendatur) *nocere ei, qui in ventre est, pr. 1. Inst. de Ingen.* Respondeo per distinctionem ignorantiæ jam à me propositam, ita quidem, ut filio obsit ignorantia parentum vincibilis, affectata, atque, ut sic loquar, realis, sive rem vitiosam concomitans: Hæc enim jam ante vitium secum traxit, tempore contractus nuptialis celebrandi, & sic jus non competens in embrionem derivare nequit, secus dicendum est de ignorantiâ invincibili sive facti, & lege permissa: quoniam in hoc posteriori casu principium aliquod morale & legale juris acquirendi conceditur. Uno verbo: in *Vincibili*, propter jus impossibiliter quærendum, liberi, etsi non paternam pœnam, tamen miseriam patiuntur, de quo *Grot. l. 2. cap. 21. §. 10.* Jn *Invincibili* fruuntur jure

paren-

parentibus quæsitô & concessô. Salvatâ partus legitimatione (utut eandem, propter perversam *Irnerii* explicationem, *verb. alantur.* suspectam faciat *Georg. Acac. Enenckel. de Parentib. & liber. privileg. 7. cap. 4. num. 15. pag. 466.*) progredior (12.) ad ejus *alimentationem*, quæ suo modo dijudicari potest ex *auth. si pater. C. divort. fact. apud quem lib.* cujus tenor constabit ex sequentibus : si pater causam divortii præstiterit apud matrem ad secundas nuptias non venientem, liberi nutriantur patris impensis : Si verò contra ; tunc apud patrem, matris locupletis impensis educari debeant liberi, nisi pater minus idoneus sit : tunc enim apud matrem locupletem nutriantur, *add. Nov. 117. cap. 7.* Quâ tamen in re multum arbitrio judicis relinquitur *in l. unic. C. h. t. add. Dn. Struv. Exerc. 30. thes. 45.* Sed hæc forsitan aliquid facere possunt pro iis, qui matrimonium philtratum *non ipso jure nullum*, sed *rescindendum* arbitrantur, de quibus quædam docui *thes.* Quoniam verò, secundum jus nostrum Consistoriale, ne quidem subsequens concubitus coactus consensum conjugalem potest firmare, adeoque hæ nuptiæ nullæ maneant, paulò aliter pronunciandum videtur, ita quidem, ut pars innocens planè partum à se procreatum agnoscere pro suo, aut quæstione hac, unde alatur, opus non habeat ; attamen, re exactius perpensâ, inveni (procul dubio ex singulari commiseratione erga innocentem partum, & intuitu affectus naturalis in sanguinem suum, tametsi ferè invitô procreatum) idem traditum apud *Dd.* probatos. Sic *Sanchez. de Matrim. l. 10. Disp. 20. n. 11. pag. 396.* tradit ; quod si alter parens fuerit in malâ fide constitutus, altero existente in bonâ, liberos alendos esse ab eo, qui in malâ fide fuit, nisi pauper sit, alter verò locuples, *add. Perez. ad C. tit. divort. fact. apud quem lib. num. 5. pag. 279.* Quid ? quod (13,) idem insuper decisum reddere cogerer, *si quis à tertio in genere, non verò ad certum subjectum amandum, philtratus & in furorem actus aliquam violenter stupraverit :* licet enim utraque pars bonam fidem prætendat (*stuprans* nimirum se egisse ignoranter, & ad minimum absque præelectione, *stuprata* se passam esse invitam & per reluctantiam) tamen cum damnum passæ mulieri præter meritum damnosum & absque restitutione esse nequeat, alimentatio patri iterum imponenda erit, qui, si ipse planè non habeat, unde vivere sibique acquirere possit, judicis officio incumbit, ex bono & æquo, secundum sæpe monita, alimenta apud matrem partui innocenti definire.

THESIS

Thesis XXXII. Relicto matrimonio *ad Testamentum* me confero, ubi quæri posset (14.) *si maritus uxorem, & contra, philtraverit, ut sese hæredem instituat, an hoc Testamentum valeat ?* ansam ad hoc quæsitum dedit *l. fin. ff. si quis aliquem testari prohib.* ubi dicitur, si quis maritus per blanditias animum uxoris ægræ lenierit & maritali sermone placaverit, eum non incidere in crimen, nec ei, quod testamento fuerit datum, aufferendum, *jung. l. fin. C. h. t. l. 70. de hæredib. instituend. Dn. Struv. S. I. C. Exerc. 32. thes. 5. & Exerc. 33. thes. 8. cum Joh. à Sande, Decis. Fris. lib. 4. t. 1. d. 11. Joh. del. Castill. p. 3. Carpzov. Jpr. Forens. part. 3. Constit. 5. Def. 7. per tot. Hartmann. Pistor. part. 1. quæst. 29. num. 1.* Ego hîc in nudis blandimentis ratione philtrati non subsisto, sed ulterius frequentissimè citatam vim & dolum urgeo ; quapropter me prædictus textus non ferit : Sed multò magis dicendum æstimo, hîc testamentum, propter defectum contra solennia & ipsam testandi formam militantem, *partim* rescindendum, *partim* annullandum esse ; imò ejusmodi dolosè philtrantem, mentisque perturbatum impetum in philtrato causantem actione ad interesse conveniri posse, per ea, quæ cum *Pistor. & Carpz. l. c. d. 8. 9. 10.* affirmant communiter Dd. Nisi forsitan dicere velis, jure quasi-Prætorio, imprimis si hæres ab intestato successurus non impugnet, illud sustineri & tolerari ; ubi tamen iterum fiscus autoritatem suam interponere, & improbum lucrum hæredi contra leges peccanti extorquere pro lubitu valebit, *add. Marc. Anton. Peregrin. de Jur. Fisc. lib. 2. tit. 2. num. 8. pag. 60. junct. tit. 6. num. 2. & seqq. pag. 72.* Sed *quid si (15) à tertio excessive philtratus testamentum condat ?* Cum amor nimius in genere sit furoris species, secundum passim tradita in thesibus hujus *Dissert.* ac liberam hominis voluntatem, aliàs civiliter & fictione Juris (imprimis si non realis furor, sed mentis solùm perturbatio desideriumque vehemens adsit ; aliud interim scio in moralibus procedere) captivam secum ferat ; testamentum autem à furibundo confici nequeat, *l. 16. & seq. qui Testam. fac. l. 2. de inoffic. Testam. §. 1. Inst. Quib. non est perm. fac. test.* Sed libertatem desideret in testatore, propriisque viribus subsistere, non verò ab alterius voluntate, intuitu alicujus coactionis, pendere gaudeat, *arg. l. 32. de Hæred. instit. l. 43. §. pen. de Legat. 1. Carpz. l. c. Def. 9.* utique dicendum erit, hoc philtrati testamentum nullarum esse virium, *confer. Joh. Nevizan. in Sylv. Nupt. lib. 1. pag. 63.* Cæterum,

rum *an philtrata se philtranti prostituens, tanquam persona turpis, per querelam in officiosi possit à Testoris fratre excludi? vid. infr. thes. 67.*

Thesis XXXIII. Olim quoque disceptatum(16)inveni: *an Philtratus in tantum, ut servitia feudalia personalia, sive quæ requirunt ipsam Vasalli personam, amplius præstare nequeat, feudum retinere* (nam de acquisitione alia res est, *vid. Dn. Struv. S. J. C. cap. 9. aph. 10. num. 4. pag. 340.*) *potis sit?* Quod omninò affirmamus: licet enim hic sit inhabilis ad succedendum in feudo futuro, non tamen ex illâ causâ, post acquisitum feudum superveniente casu, id amittit, *Carpz. Jpr. Forens. part. 3. Const. 28. Def. 8. num. 3. pag. 1197. Rosenthal. de Feudis, cap. 7. Concl. 27. num. 1. & seqq. pag. 340.* Consentit LandR. *lib. 1. artic. 4. pag. 22. b. num. 1. verb.* Wird auch ein Kind gebohren stumm/Sinn oder Witzloß / oder blind / oder sonst unvollkömmlich an seinem Leibe / das ist wohl Erbe zum Landrecht / aber nicht zum Lehnrecht. Hât aber ein Mann Lehen empfangen / ehe er also gebrechlich worden wäre / das verleust er damit nicht. Meritò igitur laudandus Rex Alphonsus Arragonum Rex, apud *Panormit. l. 4. de Gest. Alphons.* qui, cum Stephanus, Eques Neapolitanus, poculo amatorio insaniisset, tenoretque oppida & nonnulla regia officia ab Alphonso tradita, essentque qui à Rege illa bona postularent, absurdum fore dicentes, à demente ejusmodi bona possideri; respondit: sibi inhumanissimum videri, iis se etiam substantiam aufferre, quibus fors mentem & cerebrum abstulisset. Innuens, calamitatem non esse calamitati adjungendam. Quod si tamen Feudum fuerit Francum & per substitutum administrabile, etiam Philtratum ante acquisitionem in eo succedere posse, juris est indubitati.

Thesis XXXIV. *Sed quam(17)actionem Philtratus contra Philtrantem, sive sui, sive tertii gratiâ venenum ille miscuerit, instituere poterit?* Iterum hic distinguo, an philtrare, uti jure positivo civili, expressè prohibitum fuerit, an non; *sin posterius*, actio in factum locum habet ad obtinendum interesse, lucrum puta cessans & damnum emergens, uno verbo, ad omne id, quod ex actus philtrationis vi est consecutus. *Primò* igitur adstringitur philtrans ad medicamenta Medicis exsolvenda, per quæ affectus hic amoris inordinati leniri, si non in totum assopiri, poterit; *Secundò* ad alimenta, quando philtratus homo miser evasit, nec sibi per artem aut opificium de necessariis prospicere

cere valet, aut aliis modis officiis suis & functionibus carere debet, quod Germani communi vocabulo vocant Abtrag / de quo in genere videri possunt *Speidel. & Besold. hoc verb. Carpz. Pr. Crim. part. 2. qu. 99. num. 28. 45. & seqq.* sub quo *tertiò* etiam comprehendunt reliqvum interesse & dotem, quando scilicet mas aut fœmina ad furorem inducuntur, aut aliam mentis captionem & deformitatem corporis admittere coguntur, in tantum, ut imposterum matrimonium sese decens inire nequeant, prouti in simili tradunt *Dn. Struv. Jpr. Forens. lib. 3. tit. 23. §. 20. Dian. Tom. 8. Tract. 5. Resol. 78. pag. 127. Grot. l. 2. c. 17. §. 14. ibique Dn. Zigl. pag. 406. Sin verò prius,* propter dolum accedentem, præter allegata, apprehendi insimul poterit actio injuriarum *(arg. l. 9. §. fin. l. 10. ff. de injuriis. vid. Petr. Gregor. Tholosanus, Syntagm. Juris univers. lib. 34. cap. 12. n. 10. pag. 672.* allegans *l. si stuprum. 25. ff. h. t.* quæ tamen parum vel nihil ad hanc materiam facit) sive Civilis, sive Criminalis; quam nonnunquam loci privilegiati circumstantia aggravat, puta si in nuptiis, aliisque conviviis solennioribus, ubi major tutela gaudii liciti fovetur, uberiorque libertas lætitiæ in cibo & potu animadvertitur, hoc scelus à philtrante commissum fuerit; ad quam actionem quoque concurrere poterunt personæ, quarum aliàs ratione consanguinitatis vel affinitatis interest, & mentio fit *tàm* in nostro Corpore Juris, *quàm* in cujuslibet loci foro statutario. Succenturiatur insuper hisce actionibus actio de dolo, *tàm* Civilis, *quàm* Criminalis sive ex stellionatu.

Thesis XXXV. Nunc etiam *Officium Judicis*, in promovendo interesse Reipubl. & puniendo hanc illicitam philtri applicationem, scrutabimur. Sicuti enim hujusmodi artes & fraudes pessimæ sunt, ita quoque utplurimum pessimum consequuntur eventum, & jure meritoque ab ordinario Magistratu coërcentur, *vid. Ernest. Gockel. de Europ. Regib. c. 2. n. 33. pag. 263.* Nostrum igitur quæsitum *primum* erit, *quâ pœnâ philtratum reddens afficiendus sit, si nihil, præter impetus amoris, exinde eliciatur atque sequatur?* Plurâ hîc consideranda esse reor, nimirum an persona venenans *in matrimonio vivat*, an adhuc *soluta sit?* quoad *illam, quæ in matrimonio vivit*, rursus videndum, an philtrum propinaverit *proprio conjugi*, an *extraneo; Et proprio quidem conjugi* compositum ex speciebus vel *superstitiosis & magicis*, vel *insolitis & alioquin in dosi excedentibus.* Quod *insolita attinet & excedentia*

de quibus *thes. 21.* puto juxta mores nostros Saxonicos pœnam, non quidem *l. 38. §. 5. de pœnis*, (quæ ad minimum, præter turbationem affectuum, aliquam corporis alterationem in philtrato requirere videtur, idque haud obscurè colligitur ex eo, quod cum abortionis poculo imprægnatam necessario movente, poculum ibidem amatorium combinetur) sed maximè arbitrariam, infligendam esse, pecuniariam fortè aut incarcerationis ad aliquod tempus; quam tamen, nisi exorbitantia summa culpaque vincibilis in applicando manifesto ostendatur, propter favorem matrimonii (secus si inimicitiæ capitales, & has insecuta separatio quoad thorum & mensam accesserint) ad relegationem usque non extendo, imò, si excessus non fuerit nimius, seriam judicis correctionem & increpationem verbalem sufficere judico. Nonobstat, quod ejusmodi philtrans bonam habeat intentionem & finem, cum illa sola, absque concomitantiâ mediorum, in moralibus non sufficiat, ut docui *thes. 14.* Quare temeritas hæc in excedendo, & periculosa amoris cura per medicamentum insolitum, sicuti generaliter omnibus, ita imprimis præceptorum Medicorum expertibus, meritò interdicitur. *Jure Romano*, etiamsi adhibita fuerint ad philtrandum venena solita & consueta, nihilominus pœna arbitraria præsumenda erat; quandoquidem hoc jure omne poculum amatorium habebatur odiosum. Ne quis arbitretur, inquit *Tholosan. l. c. n. 10.* vel hoc in amore justo permittendum esse, audiat & in eo quoque vetitum, cum majores nostri solis animis amorem honestum existimaverint constare, *l. 3. de Donat. inter Vir. & uxor.* Et summopere in omnibus castitas procuranda est & defendenda, *§. fin. Quib. mod. nat. effic. legit. in auth. §. Sancimus. 1. Novell. 14. de lenonibus.* & propugnacula illi facienda: maximè quia fragilis est, *c. nec solo. 32. q. 6.*

Thesis XXXVI. Gravior (2.) res est, *si quis* (proterviter, dolosè, & non ex prævio amoris furore aut impetu) *philtrans, ad sui finis obtinentiam, sortilegia nec non remedia superstitiosa & magica adhibuerit?* Sanè *Girland. de Sortileg. qu. 12. n. 13. & seqq. pag. 396. & qu. 11. n. 5. & 7. pag. 394.* promiscuè pœnam mortis & gladii dictare audet ei, qui artibus Magicis alicujus affectionem, *sive* per se, *sive* per tertium (quem consuluit, aut cui sortilegia conficere mandavit) sibi conciliare ausus est, inconsiderato eo, an mors aliudve damnum fuerit insecutum, vel non; simul & an fœdus expressum & alia amica conversatio cum

Sa-

Sathana præcesserit, vel non: à quo non est alienus, *Prosp. Farinac. de Homicid. part. 5. Qu. 122. tit. 14. num. 116. pag. 214.* idque propter generalitatem textuum Juris Civilis in *l. nullus. 3. l. eorum. 4. l. nemo. 5. l. multi. 6. C. de Malefic. & Mathem.* Facit hûc locus apud *Petr. Gregor. Tholosan. Syntagm. Jur. univers. l. 34. c. 12. n. 11. pag. 672.* Si ergò, inquit ille, verum sit, magicis susurris animos deflecti ad libidinem, capitale id erit duplici ratione; *& quod* magiâ uti capitale sit: *& quod* corrumpere mores, & suggerere ea, quæ possunt pudicitiam expugnare, pœnâ dignum sit. Scribit *Dio Cassius, lib. 58.* morti addictos quosdam viros, quod nudi obviam fuissent Liviæ matri Tiberii Cæsaris, quos tamen illa morti, veniâ, eripuit, quod diceret, pudicis mulieribus hos nihil ab statuis differre. Apud Utopienses Insulanos *sollicitasse ad stuprum*, idem, quod *stuprum commisisse* est, *Thom. Morus, lib. 2. Utopiæ.* Et narrat sacra pagina *Genes. 12.* Pharäonem, multis cladibus ob attentatam solùm Saræ uxoris Abrahæ pudicitiam, affectum esse, sicut & Abimelechum Regem Gerarorum easdem ob causas *Genes. 20.* M. Claudius Marcellus, Ædilis Curulis, Cajo Scantinio Capitolino Trib. pleb. diem dixit ad populum, quod filium de stupro appellasset, reusque uno teste, qui tentatus erat, damnatus est, *Valer. Max. lib. 6. c. 1.* Metellus Celer, stuprosæ quoque mentis punitor, diem dixit Cn. Sergio Silo, quod nummos matrisamilias dedisset: eoque damnatus, nec factum, sed animus in quæstionem deductus est, *eod. & c.* Hocusque *Tholosanus.* Jn *foro Saxonico* distinguendum videtur, per ea, quæ tradit *Carpz. Pr. Crim. part. 1. Qu. 50. num. 37. 38. pag. 329.* Jtem *n. 49. 50. & seqq.* an aliquis *expressum pactum* habuerit cum Diabolo verusque fuerit Magus, hoc est, se ad intentum amoris impetrandum Diabolo mancipaverit, qui pœnâ ignis est cremandus, *vid. Constit. Elect. part. 4. Const. 2. pag. 74. b. in verb.* So Jemand/in Vergessung seines Christlichen Glaubens/mit dem Teuffel Verbündnüß auffrichtet/umgehet oder zu schaffen hat/daß dieselbige Person/ob sie gleich mit Zauberey niemanden Schaden zugefügt/mit dem Feuer vom Leben zum Tode gerichtet und gestrafft werden soll. An verò, extra pactum expressum, *solum Diabolo familiariter usus fuerit*; qui itidem gladio puniendus venit, secundum verba *Constitutionis allegatæ, pag. 75.* Deßgleichen ordnen/setzen und constituiren Wir/daß auch die/so sich unterstehen aus des Teuffels Kunst wahr zu sagen/oder

mit den Teuffel durch Christallen oder andere Wege Gespräch oder dergleichen Gemeinschafft zu halten / um sich von ihm beschehener oder zukünfftiger Ding Bericht und Erforschung zu erholen / mit dem Schwerdt vom Leben zum Todt sollen gericht und gestrafft werden. Quod si verò, *extra citatum pactum expressum, aliis sortilegiis & magicis remediis dolosè usus est*, tunc iterum videndum, *an alicui nocuerit*, & gladio rursus maleficium expiatur, *in verbis* : Do aber / ausserhalb solcher Verbündnüssen / iemand mit Zauberey Schaden thut / derselbige sey groß oder geringe / so soll der Zauberer / Mann oder Weibes Person / mit dem Schwerdt gestrafft werden ; an *nemini damnum intulit*, & pœnâ extraordinariâ locum habet : id probo ex *l. c. verbis*: Do aber ausserhalb solcher Verbündnüß iemand mit Zauberey Schaden thut. Ergo si nulla læsio secuta est, quilibet colliget, ipsum capite plectendum non esse. Consentit cum hisce, solâ gladii pœnâ exceptâ, *Imperialis Constitutio Criminalis Caroli V. artic. 109. pag. 23.* So Jemand den Leuten / durch Zauberey / Schaden oder Nachtheil zugefüget / soll man ihn straffen vom Leben zum Todt / und man soll solche Straff mit dem Feuer thun. Wo aber Jemand Zauberey gebrauchet und damit niemand Schaden gethan hätte / soll sonst gestrafset werden nach Gelegenheit der Sachen / darinnen die Urtheiler raths gebrauchen sollen / wie vom Rathsachen hernach geschrieben stehet / *add. thes. 53.* Obscurus mihi videtur, in hoc themate enodando, *Matth. Berlich. Concl. 5. part. 4. n. 62. & seqq. pag. 50.* confitetur enim, Jlle *n. 63.* pœnam ignis Jure Saxon. manere Magum propriè talem : at nescio, quid sibi velit cum alterâ Constitutionis prædictæ Saxonicæ parte, ubi deciditur, quomodo puniendus ille, qui *vel* per conversationem familiarem cum Diabolo, *vel*, citra eandem, aliâ arte magicâ damnum causatus est. Quandoquidem non video, Jpsum debito modo iterum eam cum *Carpzovio* subdistinxisse, quod tamen fieri debebat ; quin potius ex Authoribus allatis videtur generalem Juris civilis pœnam gladii approbasse ; Sic autem Jlle *n. 65.* loquitur : Dico, quod Magi vel Veneficæ incantamentis propter alterius amorem, absque fœdere Diaboli, utentes, in secundum casum *Constitutionis* cadunt, & tàm in *Foro Saxonico*, quàm etiam in aliis locis gladio puniantur : tum per textum elegantem *in l. eorum est scientia. 4. post princ. C. de Malefic. & Mathem.* ubi clarè dicitur, quod illi, qui magicis artibus

tibus animos pudicos ad libidinem deflexisse deteguntur, puniri debent : & quamvis ibidem pœna expressa non additur, quâ puniendi sunt, ob id tamen eorum pœna non est arbitraria facienda, quoniam pœna *in d. l. 4. post. princ.* tacitè est sancita, siquidem ibi Magi aliquid contra salutem hominum moliuntur, & qui animos pudicos ad suam libidinem flectunt, conjunguntur & æquiparantur. Negari autem non potest, quod illi Magi, qui Magicis artibus aliquid contra salutem hominum moliuntur, capite puniantur, *§. item Lex Cornelia. 5. sub fin. J. de public. Judic. l. ejusdem legis. 3. §. 5. ff. ad L. Cornel. de Sicar. l. nemo aruspicem. 5. sub fin. C. de Malefic. & Mathem.* Tùm quia plus quam manifestum est, quod amore & concupiscentiâ teneri corpus eorum transmutet, & damnum inferat, & quibusdam insaniam faciat, *Joh. Francisc. Ponzinib. Tr. de Lamiis, n. 83. vers. coire enim & concupiscentiæ.* Paulò antea autem ex *dict. Const. 2. §. 2. part. 4.* dixi, si ullo modo alicui per incantationes damnum inferatur, quod incantator gladio puniatur ; *tum* quia in ejusmodi incantationibus amatoriis utplurimum hostiæ sacræ adhibentur, Dæmones invocantur, & alia remedia superstitiosa, fidei christianæ repugnantia, usurpantur, latè *Paul. Girland. Tract. de Sortileg. qu. 3. n. 16. ibi : in istis etiam Sortilegiis. n. 17. & seqq. &c.* Hactenus *Berlich.* Quanquam verò Jlle dici queat voluisse solummodò explicare *Constitutionis Saxonicæ* eam partem, quæ de damni datione absque pacto & conversatione cum Diabolo loquitur, *in verbis : Si ullo modo alicui per incantationes damnum inferatur ;* tamen ejusdem & Autoritates & Autores citati confusionem iterum formant. *Primò* namque adduxit leges ex Codice Juris Civilis, quæ indistinctim magis ad malum finem operantibus pœnam gladii constituunt ; quis autem negavit, confectionem poculi amatorii in corpore Justinianeo non credi ad malum finem operari, & in totum prohibitam esse, *arg. l. 38. §. 5. de pœnis ?* & tamen manet adhuc *subdistinctio Saxonica atque Imperialis Carolina* in suo vigore, inter *damnum datum* per philtrationem Magicam, & *non datum*, quam Berlichius vel ignoravit, vel (quod magis probabile propter *num. 67. de quo vid. infr. thes. 53.*) se ignorasse finxit. *Secundò* confitetur, pocula amatoria magica superstitiosis & hæreticis nominis & corporis Divini abusibus, fidei christianæ repugnantibus & invocationem Dæmonis supponentibus, componi, ubi itidem pœna

mortis

mortis indubia in eodem Jure ſolam confectionem ſequitur, poſthabito eo, an damnum datum fuerit, nec ne, *Tertiò* allegat *Berlich.* autoritatem *Girlandi*, quem *n. 65.* abſolutè ſequendum jubet (jurene, an injuriâ? *vid. theſ. 47. & 53.*) ex quo ita argumentamur: Quæ *Girlandus* in hôc themate dicit, illa vera ſunt. Atqui *Girlandus* pœnam mortis ex rigore Juris Civilis dictat, ſive damnum fuerit ſecutum, ſive non; Ergo. Sed hæc concluſio eſt manifeſtè contradicens *ſubdiſtinctioni Juris Saxonici.* Verum hæc κατ' ἄνθρωπον, pro & contra diſputata ſunto: *Pro excuſatione* interim aliquali *Berlichianâ* dici poteſt, ipſum intellexiſſe ſemper amorem impetuoſum per poculum magicum perfectè conciliatum, ubi non poteſt non in philtrato damnum illatum dici, & per conſequens pœna gladii in *Foro Saxonico* locum habere: aliud ſi amor ad perfectitudinem inordinatam nondum pervenerit; quia tunc ſolus punitur conatus, juxta *theſ. 22.* de quo hîc planè nullum *Berlichius* habuit ſermonem. Atque hoc modo rem ſopitam crederes, niſi *Quartò Berlichius* induxiſſet *Oldrad. Conſ 220. vers. tertia conſideratio. Tiraquell. de pœn. temperand. n. 3. & ſeqq. Jul. Clar. l. 5. ſentent. §. hæreſis. n. 25. & ſeqq. Matth. Coler. Deciſ. 180. n. 13. part. 1. pag. 599. Joh. Franciſc. Ponzinib. de Lamiis, n. 83. poſt princ. pag. 355. b.* quaſi ſcilicet illi Magos & Veneficas hoc in caſu excuſent, eosque in pœnas Sortilegorum & incantatorum non incidere contendant. Verum, quod *Clarum* attinet & *Oldradum* item *Tiraquellum*, eosdem ſatis & ſufficienter excuſavi *inf. theſ. 69.* Idem etiam, evoluto JCto illo Placentino *Joh. Franciſco Ponzinibio* inveni, illum nimirum non generaliter eſſe intelligendum, ac ſi nullus magus absque fœdere cum Diabolo inito ſolis incantamentis ad alterius amorem capeſſendum utens, incidat in pœnam Sortilegii: Sed quod ille, qui, prævio amoris furore impetuoſo, artibus magicis uſus fuit, tanquam absque præelectione agens, in ordinarium crimen hæreſeos non incidat, nec formaliter tanquam magus pœnâ ordinariâ puniri queat. Audiantur modo ejus verba: decima ſeptima (concluſio eſto) ſecundum *Oldradum (in Conſil. ſuo 220.)* quod etiam his, quæ non ſunt formaliter hæretica, licet hæreſin ſapiant, detrahendum eſt, propter muliebrem ſimplicitatem, *C. de jur. & fact. ignorant. l. 1. de Jur. deliberand. l. ult. §. ult. & de his qui ſibi adſcrib. in teſtam. l. pen.* & eodem modo, propter furorem, etiamſi provenit ex mulieris amore, quoniam ſcriptum eſt, quod

nihil

nihil furore amoris est vehementius,& quia illud dicit *Philosophus 7. Ethic.* coire enim & concupiscentiæ venereotum, & quædam talium manifestè corpus transmutant, quibusdam autem insanias faciunt. Nam in quocunque crimine furioso parcitur, *ad L. Cornel. de Sicar. l. infans.* & hoc etiam in crimine læsæ majestatis, *ff. ad L. Jul. Majest. l. famosi.* Hæc *Ponzinibius* : ex cujus tamen verbis nemo certè cum *Berlichio* concludere poterit, ipsum promiscuè, & non potius tempore amoris furibundi, talismodi Magos & Veneficas excusare voluisse. De *Colero à Berlichio* refutato credas, Illum facere *pag. 510.* cum *Claro* à se citato ; Sed Eundem *Clarum* non satis cum *Berlichio* ipsum intellexisse ex *cit. thes. 69.* concludas. Quod attinet *Danielem Mollerum ad cit. part. Const. Saxon. 2. n. 5. pag. 451.* quem citat *Berlich. n. 64.* confiteor eum in hoc taxandum esse, quod suum assertum ex Jure Romano verificare velit ; Sunt autem ejus verba : Licet textus *l. 4. de Malef. & Mathem.* crimen hoc severissimè vindicandum esse dicat, cum tamen genus pœnæ non exprimat, *Gl.* quoque *in l. nemo. in verb. supplicio capitis. C. eod. tit.* mirabiliter nutet ac fluctuet, quo pacto hæc manifesta etiam verba (*Supplicio capitis*) quæ tamen & ipsa *in d. l. 4.* non habentur, in hâc materiâ magicâ sint accipienda ; sequi in dubio mitiorem, quam duroriem, sententiam maluerunt, *&c.* Hæc *Mollerus.* Atqui in hoc (1.) satis ei demonstratum à *Berlichio*, quod pœna capitalis ex collatione aliarum legum hîc intelligi debeat. Nec (2) quicquam valet argumentum à fluctuatione *Glossæ* desumptum : licet enim illa *pag. 2125. verb. cit. supplicio capitis.* deportationem inter pœnas capitales numeret, inde tamen non sequitur, quod hæc mens fuerit Jmperatoris in materiâ præsenti. Nisi forsitan ad ejus exculpationem dicere velis, ipsam tribus ultimi supplicii naturalis pœnis (v. g. concremationi, dilacerationi per dentes ferarum & decapitationi) quartam, mortis civilis, adjecisse, quæ se fundare potest in jure aggratiandi Majestati summæ concesso. Brevior via est, ad excusationem Scabinorum Lipsiensium, à *Mollero* citatorum, in hoc passu mitigationis ducens, illos videlicet reflexionem habuisse ad nimium amoris impetum, mentis tamen exilium in muliere philtrante non inferentem, vel etiam ad mulierem stimulis furoris Venerei, quibus tamen ab initio probè resistere potis erat, ansam dantem & eis plus justo indulgentem ; imprimis si philtratio malam habuerit intentionem

vetitæ libidinis, aut adulterini congressus, *add. thes. 39.* De pœnâ à tertio philtrati, qui tamen subjecto amato, respectu cujus philtratus, sive ad quod amandum per venena coactus est, potiri per media ordinaria & licita nequit, & propterea ad sortilegia & artes Dæmoniacas confugit, *vid. infr. thes. 69. Iuris Canonici* animadversionem in *Clericos*, tanquam sortilegos philtratores, præter peccatum mortale, quod incurrunt (etiamsi hoc multò magis de Laico verificari queat, secundum *Alberic. de Rosat. in Rubric. C. de Hæretic. Col. 3. & Dec. in cap. ad audientiam. X. de Rescriptis*) colligere poteris ex *arg. Can. 5. si quis Episcopus. XXVI. q. 5. & cap. 2. ex tuarum. ibique Panormitan. X. de Sortileg. add. Farinac. l. c. num. 118.* Quod si extraneo à *personâ conjugatâ* philtrum fuerit propinatum, eandem, quam supra *thes. 35.* proposui, distinctionem usurpo; ita tamen, ut semper in hoc adulterii committendi proposito ex parte philtrantis Judex in arbitrando se duriorem, ac minus, quam suprâ in vetitâ conciliatione amoris conjugalis, ad condonandum facilem sese exhibeat. Ubi verò *persona soluta* poculum venenatum alicui porrexit, mitius, quam modò de intentione violandi fidem conjugalem dictum, procedendum esse suadet æquitas, præsertim si philtrans ex sincero erga philtratum affectu & spe honesti amoris, non verò ex impurò stupri aut alterius inordinatæ libidinis proposito venenum applicuerit, adeoque non tam malo animo, quam malo exemplo & culposo suo facto, peccaverit.

Thesis XXXVII. Quid autem (3) dicendum, *si amor Venenatus ad effectum pervenerit, adeoque concubitus insecutus sit?* Retineo suo modo Distinctionem mox antea allegatam; videlicet si remedia fuerint insolita, aut solita quidem, ast in non-competente, sed legibus prohibitâ ratione applicandi peccantia, pœna itidem arbitraria (v. g. pecuniaria, carceris & similis) personæ philtranti solutæ, aliam similiter solutam inficienti, dictanda est: nec regulariter ad severiorem procedendum, *præsertim si pars philtrata præcedenti concubitui acquieverit, nec sponsalia per copulam carnalem jam confirmata* (sive hæc dolosè, sive culposè peracta fuerint) *rescindi velit*; sibi quippe soli pars philtrata tunc præjudicat, & Consistoria nostra non admittunt, ut id, quod prohibetur *sub lege pœnitentiæ*, eandem sapiat conditionem atque id, quod turpe dicitur *sub lege annullationis*. Posset adhuc mitius agi per dispensationem non solum summi Principis, sed & Magistratus ordina-

ordinarii, *si præcedente solenni benedictione sacerdotali & aliis cæremoniis, in Foro nostro Augustano adhiberi solitis, concubitus fuerit secutus, & pars innocens nocenti factum remiserit.* Veruntamen quid *juris, si pars philtrata injuriam sibi illatam remittere nolit, & per consequens, secundum supra tradita, matrimonium annullari petat?* Statuerem hoc in puncto omninò arbitrium judicis pœnale ad graviora se reflectere, adeoque relegationem, &, variantibus rerum circumstantiis (ut puta si remedia talia philtrato dolosè fuerint adhibita, à quibus natura abhorret, vel quibo singulariter quis convelli & turbari, imò in periculum totalis interitus potest rapi) fustigationem dictare valere; prouti tunc apud Romanos locum quoque habere poterat *l. c. 38. §. 5. de pœnis.* Major quippe malitia severiori semper coërcitione digna est, pariterac, delictis crescentibus ad scandalum Reipublicæ enormius, crescere debet præcavens supplicium; uti ex innumeris Juris autoritatibus colligere est. *Magica & superstitiosa* quod attinet venena, illa ex supra declaratis patent, pro ratione diversitatis pactorum & consiliorum cum Diabolo, tàm expressorum, quàm implicitorum, aliosque abusus Nominis Divini. Magia siquidem hæc prohibita ordinariè in *Foro nostro* gravius, quam philtratio, punitur, &, per consequens, delictum levius absorbet; idque ex causis & observantiâ Praxeos notissimâ, quâ de consulantur Criminalistæ. Inveni tamen, hujus materiæ elaborationi insistens, duo specialia punitionis exempla: *unum* perpetui carceris, apud *Dedekenn. Vol. 3, num. 6. pag. 362.* formatum à Facultatibus Theologicâ & Juridicâ Rostockiensibus, Mens. Jul. Ann. 1619. hat die angedeutete N. von einem andern Weibe etliche Worte gelernet / dero gestalt / wenn dieselbe über eine Person / dero unwissend / in der Stille ausgesprochen werden / daß als dann selbige Person in unordentliche Liebe gerathe / und sich in des andern Willen ergeben müste / und es hat dieses bemeldte N. an ihrem Diener *practiciret* und ihn dermassen bezaubert / daß er eine Zeitlang weder essen / trincken noch schlaffen können / sondern stets über ihrer Liebe gelitten / und denselben dadurch zu unordentlicher Liebe gezogen / so kan sie / gestalten Sachen nach / mit ewiger Gefängnüß wohl gestraffet werden; nisi fortè hoc ad casum specialem restrinxeris, puta quod fuerit sententia hæc lata super Viduâ Nobili æquè ac familiæ generosioris. *Alterum* exemplum historiæ vetustioris ex *Nizeta l. 4. Hist.* afferunt

Cyprens, cit. §. 64. pag. 546. Laurent. Beyerlinck. in Theatr. Vit. humanæ. verb. miraculum. tom. 5. p. 541. rubric. in amorem pellicere. lit. a. de Sclero (sive Scelero) Setho quodam, qui, cum puellam nubilem adamaret, ac eam sibi expeteret, per lenam ei malum persicum misit, quô puella in sinum receptô, amore & libidine insaniens, ab eo vitiatur: Puellæ verò cognati, id facinus indignè ferentes, effecerunt, ut ejus aspectu penitus privaretur, quam impudicè aspexerat. Nam Jmperatoris Manuelis Comneni jussu excœcatus est, quod, sub Astronomiæ professione, Magiæ operam dedisset. Quæ de Magiâ ejusque pœnâ, intuitu philtrantis *soluti*, dixi, eadem quoque procedunt in personâ philtrante *conjugatâ*, cum propter adulterium pœnas dans philtri propinati, etiam in *Foro nostro positivo* satisfeciisse præsumatur.

Thesis XXXIIX. Sed quid (4) respondendum, *si effectus Sodomiticus philtrum sequatur?* Ansam ad hanc quæstionem mihi dedit *Dedekenn. Vol. 4. Qu. 3. n. 22. pag. 793. Consil. Theolog. in verbis*: Wenn es sich also / wie N. aussaget / verhalten solte / daß nehmlich er unterschiedliche angegebene Personen / vermittelst Eingebung eines teuffelischen Pulvers / zu dem abscheulichen Laster der Sodomie gleichsam gezwungen und verzaubert; Was mit solchen Personen vorzunehmen / sonderlich da wenig actus vorgangen / und etwan grosse Reue zu verspühren seyn möchte? &c. Jmaginabilis certè appetitus, quatenus à virtute & utilitate sejungitur, eo fit fœdior, quo magis à naturâ humanâ abit, juxta *Grot. l. 2. c. 20. §. 29. n. 3.* quare hîc etiam sodomiæ, & respectivè Magiæ, pœnas philtrantis protervitatem in *Foro* nostro *Politico* absorbere reor. Huc refer Præjudicium Scab. Lips. Mens. Novemb. Ann. 1661. ad consultationem civitatis Jmperialis Mühlhausen / de quo jam supra *thes. 22. in fin.* feci mentionem, PP. hat Jnquisitin in ziemlicher scharffer Frag bekandt und gestanden / daß sie sich mit dem bösen Feind verbunden und die Tauffe von ihm angenommen / wie auch an Gelde ein Kopffstück / dergleichen er ihr wöchentlich zu geben versprochen / wiewohl ers nicht gehalten: Darauff sie ferner drey mahl unmenschliche Unzucht mit demselben verübet / und nach dem sie durch solche Unzucht etwas zur Welt gebracht / so wie eine Hummel außgesehen / darauß der böse Feind ein schwartz Pulver gemacht und ihr gegeben / damit sie viele zu ihren Willen verleitet / &c. Als sprechen Wir / daß sie solcher unmenschlichen Unzucht halber und verübten

Zaube-

Zauberey mit dem Feuer vom Leben zum Tode gestraffet werden solle/ V. R. W. *Quid (5.) si morbus concilietur ?* Nostra ætate, inquit *Hieronym. Jordan. in Tr. de eo quod divin. aut supernat. est in morb. hum. corp. ejusque curat. c. 23. pag. 88.* à philtro totum aliquando corpus velut in truncum aut stipitem obriguit, crustâ densissimâ undique obtectum, ita ut sex integris septimanis perdius pernoxque steterit commiseratione dignissimus juvenis. Sed nec tunc ultra pœnam arbitrariam carceris aut relegationis quid dictatum memini in *Foro Saxonico.* Ad fustigationem igitur rarius perveniendum, nisi philtrum illicitum per flagitia alia enormiter fuerit qualificatum, puta *si philtratus plane reddatur furibundus* (licet huic pœnam mortis dictet jus Neapolitanum apud *Matth. de Afflict. l. c. §. amatoria pocula. princip. pag. 207.* quam tamen Judicis arbitrio iterum relinquit *num. 2.) aut aliter, propter vim veneni ejusque operationis, de suâ corporis valetudine desperans ;* Consimili ratione probè inquirendum in finem & qualitatem personæ philtrantis. Sic graviori pœnâ dignus est *conjugatus*, per philtrum aliquam, adulterii committendi ergo, sive virginem, sive uxorem alterius ægrotare faciens ; quam *solutus* : & rursus *persona soluta* ad stuprum alteram per philtrum sollicitans plus malitiæ contrahit, quam v. g. *mulier*, quæ, ad molliendos affectus maritales inordinatè se habentes, venenum adhibet, ex cujus applicatione inopinatus morbus concitatur, *add. Johann. Vier. de Præstig. Dæmon. lib. 6. cap. 26. pag. 766.* Hinc Scabini Lipsienses dictaverunt perpetuam relegationem ancillæ cuipiam, ob medicamentum ex crinibus & unguibus confectum, in pane præbitum N. quô sumtô is ægrotare cœperat, Mens. Decembr. 1623. Et quando fœmina quædam marito suo venenum propinaverat, & juramento obtinuerat, se non aliâ intentione, quam ad incitandum erga se conjugalem amorem, hoc fecisse, iidem Scabini responderunt Mens. August. 1605. eam adulterii pœnâ non plectendam, sed ex carcere, in quo jam per septimanas quinque detenta fuerat, dimittendam esse, ut videre est apud *Carpzov. Pr. Crim. part. Qu. 21. n. 22. & 29. pag. 102.* *Jure Romano* humiliores in metallum, honestiores in insu'am, amissâ parte bonorum, damnatos fuisse, nullum est dubium, propter expressa verba *l. c. 38. §. 5. de pœnis.* Quamvis rem adhuc subobscuram ibidem reliquerit *Paulus JCtus : quota enim pars bonorum amitti debet, quartane, secunda, an tertia?*

similiter *qualis relegatio imponenda, perpetuane antemperaria? Gloss. ad h. l. pag. 1570. verb. amissa parte.* quam sequitur *Paul. Girland. de Sortileg. quæst. 12. num. 1. & 18.* putant intelligendam esse publicationem partis dimidiæ bonorum, *arg. l. nomen. 164. §. partitionis. 1. de V. S.* Quartam tantum partem bonorum explicat *Petr. Gregor. Tholosan. Syntag. Iur. universi. l. 34. c. 12. n. 9. pag. 672.* similiter relegationem hîc interpretatur perpetuam ex eo, quod cum bonorum privatione illa fuerit conjuncta, *arg. l. 4. & 7. §. ad tempus. 4. de Interdict. & Relegat. add. Jodoc. Damhoud. Pr. Crim. cap. 61. num. 90. pag. 94.* Ego, *quoad prius*, privationis determinationem, respectu partium, prudentis judicis arbitrio relinquo: *quoad posterius*, non contradico. Sin pactum expressum aut alia cum Dæmone familiaritas adjecta esset, pœna mortis sequebatur, de quâ supra *thes. 36.*

THESIS XXXIX. *Quid si (6) mors sequatur?* uti, præter exempla in *thes. 18.* citata, hoc corroborare potest fatum Friderici Austriaci, electi Imperatoris Romani, & à Ludovico Bavaro devicti, philtro (per quod perpetuam gratiam Nobilis mulier marito suo conciliatura erat) ad tabem redacti & extincti A. Chr. 1330. 13. Januar. *vid. Wier. de præstig. Dæmon. l. 3. c. 38. pag. 383. & ex Cuspiniano in Vit. Ludov. Bavar. Mart. Delrio, Disquisit. Magic. l. 4. part. 1. q. 3. Sect. 2. pag. 371. Roderic. à Castro, Medic. Polit. l. 4. c. 2. p. 217. Rejes, l. c. pag. 358. n. 27. Dn.* **Frommann.** *de Fascinat. Magic. l. 3. part. 6. cap. 12. §. 14. pag. 826. item cum Arnd. de superstit. cap. 2. §. 26. & seq. Dn. Freud. Qu. Consc. de Magia, qu. 152. pag. 330.* Praxis *Fori Saxonici*, de quâ attestatur *Carpz. l. c. n. 18. p. 101.* pœnam ibidem homicidii extraordinariam, *nequaquam verò mortem* (exceptô sæpe dictô pactô vel consilio cum Diabolo intercedente) Philtranti decernit, idque, si solum dictatum rectæ rationis, quatenus se præcisè in naturâ *talionis*, tàm physicæ, quàm moralis, fundat, respicere velimus, adeò non injustè. *Primo* enim pœna mortis philtranti, si mors sequatur, *ipso Iure Saxonico* imposita non reperitur, atque propterea magis inspicienda venit opinio delinquentis, quàm veritas, sive exitus, quemadmodum ex *Tiraquell. de Revocand. donat. in verb. revertatur. num. 353.* declarat *Carpz. part. 1. qu. 1. n. 54. Secundò*, utut hic Philtrans, *ratione philtrationis*, versetur in facto illicito, illud tamen *non est dolosum ratione occisionis*, sed tale potius, quod nullam ex mente venenantis præ se fert offensionem

aut

aut læsionem, qualis in eo fortè accidit, qui pravô animô, volens alicui injuriam modò leviorem irrogare gladio, ligno, vel alio simili instrumento, ejusque v. g. faciem cicatrice saltem signare, minimè verò ipsum occidere; manum tamen suam ita temperare non potuit, quin graviter eum percusserit, ex eâque percussione, præter intentionem vulnerantis, mors sequatur. Quare etiam, sicuti in hoc *posteriori* casu, idem mortis supplicium, de quo *Carpz. Qu. 1. n. 15. & seqq. pag. 3.* in *priori* locum non meretur; Sed aliquando, datâ Philtrati morte, extra ordinem relegatio (sive temporalis, sive perpetua) parti lædenti dictatur: puta si uxor, ad amorem sive cohabitationem & congressum conjugalem penes maritum excitandum; aut virgo vel alia fœmina soluta, sub spe consequendi matrimonii honesti, amasio (aut vice versa) quid veneni subordinaverint: ut, in se fortassis non ineptè, opinati sunt *Eberhard. Bronchorst. Enantiophan. cent. 4. assert. 84. Anton. Gomez. Tom. 3. Variar. Resolut. cap. 3. Rubr. de Homicid. n. 33. vers. si verò sine dolo.* in hoc unico redarguendi, quod eorum sententia in Jure Civili se fundet, ex quo tamen juxta *thes. 31.* contrarium demonstravi: Tametsi citra meritum posteriorem taxet *Farinac. cit. Quæst. 122. de homicid. pag. 214. n. 113.* eò quod non declaraverit, quis dicatur amor licitus; cum hoc cuilibet, præcepta Ethica leviter edocto, ad oculum pateat. Aliquando etiam fustigatio adjicitur, intellige, si ad malum exemplum accedat finalis intentionis ad vetitam libidinem aut adulterinum congressum directæ turpitudo, *Confer. infr. thes. 65. add. Carpz. l. c. n. 20. pag. 102.* in quo tamen non probo, quod ad hanc assertionem suam comprobandam allegaverit casum Scabinorum Lipsiensium ex *Daniele Mollero ad part. 4. Const. Sax. n. 6. pag. 451.* quasi scilicet illi pœnam virgarum cum perpetuâ relegatione mulieri dictassent, quæ magicis artibus virum sub intentione amoris ad mortem adegisset: Evolvas namque L. B. Mollerum, & nihil ibidem reperies de morte philtrati; cum solus ibi sermo sit de poculo magico, quomodò scilicet illud puniendum sit respectu magiam adhibentis, non verò ratione philtrati mortui, *add. thes. 36.* Tametsi probare nequeam, quod quidam olim hoc flagitium planè impunitum voluerint, quemadmodum docuit de Areopagytis *Aristot. l. 1 c. 17. Magn. Moral.* Audi ejus verba: cum quis aliquem ceciderit, occideritve, aut ejuscemodi aliquid effecerit horum nihil prævidens,

cum

eum dicimus invitum feciſſe, quippe quod ultroneum in animadvertendo eſſe facilè deprehendatur. Velut olim mulierem ajunt quandam poculum exhibuiſſe cuidam amatorium, dein eo poculo hominem mortuum concidiſſe, eam verò mulierem in Areopagum perfugiſſe, quam præſentem non aliâ de causâ liberarunt, quam quod non id prævidens effeciſſet; amoris ſiquidem cupiditate obcæcata in eo fuerat hallucinata, & perinde neutiquam ſpontanea ejus poculi amatorii viſa fuerat exhibitio, quandoquidem non eâ mente dederat, ut perderet hominem; Jnde igitur in id, quod ex animi ſententiâ fit, cedit voluntarium, &c. Hæc *Ariſtot. add. Coraſ. lib. 4. Miſcell. cap. 2. n. 3. & 4.* cui ſequentia ſubdit *Didac. Covarruvias, Relect. ad Clem. ſi furioſus. de Homicid. tom. 1. part. 2. princ. n. 2. pag. 562.* etiamſi parumper, quoad ſenſum literalem, obſcura videantur: Hyllus etiam frumenti Herculem patri apud Sophoclem in Trachinis apertè rem exponit, dicens Dejaniram cum putaſſet corpori ipſius injecturam, quod conciliandi amorem vim haberet, revocandique abalienatum ipſius animum, peccaſſe errore quodam non voluntate. *Cicero* item *in lib. 3. de Natur. Deorum.* nec enim, inquit, Herculi Dejanira voluit, cum ei tunicam ſanguine Centauri tinctam dedit. Nimis autem laxos, quoad hoc, fuiſſe Areopagytas, rectè tradunt *Alciat. lib. 7. Parerg. cap. antepen. p. 384. Hennell. Ot. Uratislav. c. 21. p. 161. Delrio, l. c. p. 371. Roderic. à Caſtro, l. c. add. Anton. Matthæi, de Crimin. ad l. 48. ff. tit. 5. c. 5. §. 6. & Dn. Puffendorff. l. 1. c. 5. §. 10. p. 70. de Iur. N. & G.* qui tamen, ad excuſandum Areopagitas eorumque ſententiam, præſupponendum fuiſſe ait: Fœminæ iſti nunquam in mentem veniſſe, poculum illud ullo modo noxium eſſe poſſe.

Thesis XL. *Num verò de Iure Civili idem, quod in Praxi Saxoy. receptum eſt, ſtatutum reperiatur?* ſtrenuè inter ſe diſquirunt Interpretes. Affirmant *Gomez. & Bronchorſt. ll. cc. Fab. Montell. in Pract. Arbitr. part. 4. num. 712. Petr. à Plach. in Epitom. Delict. lib. 1. cap. 20. n. 5. pag. 17. Menoch. Arbitr. Caſ. 358. lib. 2. Cent. 4. pag. 482. Nicol. Boër. qu. 216. num. 4. in fin. Ægid. Boſſ. in tit. homicid. n. 5. & ſeqq. Andr. de Iſernia, in Lectur. tit. de pocul. amat. porrigent. pœn. Anton. Theſaur. Deciſ. Pedemont. 12. n. 10. Petr. Theodoric. Iudic. Criminal. Pract. cap. 7. aph. 7. num. 3. & ſeqq. pag. 1045. & ſeqq. Carpzov. l. c. num. 18. pag. 101. ibique plures citati Doctores. Michaël. Freud. Quæſt. Conſcient. de Venefic. quæſt.*

347. *num.* 2. *pag.* 639. *Christoph. Besold. Thesaur. practic. verb.* **Liebs Trängklein**. 58. *pag.* 592. *allegans Guil. Bokelium, Disquisit.* 6. *num.* 23. *hoc thema more suo in utramque partem disputantem. Petr. Gregor. Tholosan. l.* 34. *c.* 12. *n.* 9. *pag.* 672. *Syntagm. Iur. univers.* moti (1.) quod in delictis propositum & intentio delinquentis maximoperè spectanda sit, *l.* 1. *§.* 3. *l.* 7. *l.* 14. *ad L. Cornel. de Sicar.* Item quod (2) perquam durum & crudele sit, dolo vacantem ullo in crimine vitâ privari: quamobrem omninò dicendum, pœnam Veneficii ordinariam cessare, quando præbens non habuit animum occidendi aut nocendi, sed conciliandi solùm amoris & affectionis, præter intentionem autem mors ex Veneno propinato concilietur, *jungantur l.* 1. *§.* 1. *l.* 3. *in princ. h. t.* Comprobare hoc assertum (3) videtur expressa litera *l.* 3. *§.* 2. *h. t.* ubi ex SCto relegari jussa est ea, quæ, non quidem malo animo (adest enim intentio bona, procuratio scilicet sobolis, & medicamenta hîc adhiberi solita regulariter vires corporis augent & matrem confortant, juxta *Carpzov. cit. infr. thes.* 46.) sed malo exemplo (quia mulier illa juxta *Girland. qu.* 12. *n.* 19. præsumitur voluisse violentare naturam, & imponere fœcunditatem in utero, in quo Deus & Natura imposuerunt sterilitatem: fuitque hoc factum nimium audax; nam prohibitum est velle subvertere ordinem naturæ. Quam tamen ego formalem rationem mali exempli in hac lege non pono, quin potius eandem in imprudentiâ & temeritate mulieris, Medicum perversè agere præsumentis, latere judico. Per se quippe malum non est, sed indifferens potius, juvare naturam inordinatè ad conceptionem se habentem, medicamentis secundum artem compositis, procurareque sobolem, & respectivè hæredem, familiæ indigæ.) medicamentum dedit ad conceptionem, ex quo ea, quæ acceperat, decessit; jam verò hîc non est malus animus circa Philtratum, si intentionem philtrantis, quæ nec quicquam in occidendo, sed potius affectione (etiamsi propter turbationem juris alieni illa quandoque vitiosa fiat, aut promiscuam libidinem sapiat, v. g. in stupro, adulterio) conciliandâ consistit, perspexeris. Ergo nec pœna mortis, homicidio alias destinata, insequi potest. Accedit (4) ex mente *Theodoric. num.* 3. quod non credibile sit, à JCtis ejusmodi duram *L. Corneliæ* verbis, pe se certis & claris, interpretationem adhibitam fuisse, per ea, quæ habet *Alberic. Gentil.* 3. *Lect. ad Jus Civil.* 3. quem omninò videndum vult

Theodor. Pro quo etiam facit (5) regula illa, quod unum determinabile, relatum ad plura determinabilia, debet illa pariformiter determinare, *l. nam hoc jure. ff. de Vulgar. & Pupillar. & Bartol. in l. Centurio. in 8. Col. in verſ. pro alia. eod. tit.* Sed ratio compoſitionis, traditionis atque deciſionis unica videtur eſſe in omnibus, hoc eſt, quod ea, quæ ponitur in uno caſu, militat etiam in alio caſu, ergo deberet eſſe utriusque pari formis pœnæ deciſio, *d. l. jam hoc jure, cum aliis prædictis.*

Thesis XLI. Aſt, ſalvâ opinione horum Practicorum ſat celebrium, probabiliorem ſe mihi exhibet ſententia eorum, qui volunt, Imperatorem Juſtinianum in ſuo juris corpore ultimum ſupplicium, ſi philtrum mortem concitaverit, impoſuiſſe. Prædictis enim legum textibus graviter obſtat *Paulus in l. 38. §. 5. de pœnis*; ubi, qui abortionis, inquit, aut amatorium poculum dant, etſi dolo non faciant, tamen, quia mali exempli res eſt, (ſuppleas tu: *& turpitudo finalis intentionis*: inquit *Girland. qu. 12. n. 18.* Sed hoc mihi ſuperfluum videtur ſecundum mentem JCti: ſive enim finalis intentio favorabilis fuit, ſive turpis & odioſa, ſemper propinatio poculi amatorii prohibetur, adeoque mors exinde ſecuta ultimo ſupplicio expiatur) humiliores in metallum, honeſtiores in inſulam, amiſsâ parte bonorum, relegantur, quod ſi eo mulier aut homo perierit, ultimo ſupplicio adficiuntur. Conſtat ex hoc loco de genuinâ L L. Civilium mente, pœnam mortis expreſsè addicente iis philtrantibus, qui (ſive dolosè, ſive culposè, textus quippe generaliter loquitur) mortem per poculum ejusmodi intulerunt. Conſentiunt *Dn. Struv. S. I. C. Exerc. 48. theſ. 8. pag. 884. Proſp. Farinac. de Homicid. part. 5. qu. 122. tit. 14. num. 112. & ſeqq. pag. 213. item part. 3. qu. 87. num. 48. & ſeq. cum multis à ſe allegatis Doctoribus Johann. Andr. ad cap. ſi aliquis. verb. meditatione. num. 1. X. de Homicid. & ibi etiam Heinric. Cardinal. Hoſtiens. num. 1. Anan. ante num. 1. verſ. quid autem. Anton. de Butr. num. 3. Nicol. de Tudeſch Abb. Panormitan. n. 2. Marian. Socin. num. 2. verſ. ſed quærunt Doctores. Roderic. à Caſtro, l. c. pag. 217. Franciſc. Regna, Theolog. & J. U. D. in Comm. ad Ambroſ. de Vignat. tract. de Hæreſ. queſt. 18. num. 176. lit. c. pag. 141. Speckhan. qu. 5. cent. 3. claſſ. 2. pag. 574. allegans plures; num. 2. pag. 575. ſed ſatis infideliter: multi quippe contra ſentiunt. Harpprecht. ad §. 5. Inſt. de Publ. Judic. num. 64. & ſeqq. p. 970. ibique plur. Dd. Bernhard. Ziriz ad Conſtitut. Criminal. Carol. V.*

V. art. 130. pag. 135. Hennel. Ot. Wratislav. cap. 21. pag. 158. Jodoc. Damhouder. Prax. Crim. cap. 61. num. 88. pag. 93. Jacob. Boulen in Repetit. l. capitalium 28 §. famosos 15. num. 203. ff. de pœnis. Christoph. Ludovic. Dietherr. in addit. ad. Besold. Thesaur. Practic. verb. **Liebtränck lein** *58. pag. 592. Carrer. in Pract. Corrad. rubr. de Malef. n. 6. Decian. in Tract. Crim. l. 9. c. 23. n. 2. & n. 8. Rittershus. Comm. in Inst. ad tit. de public. judic. §. 5. pag. 771. Kornmann. de linea amoris pag. 64. Bajard. ad Clar. qu. 68. num. 9. vers. item. Coras. lib. 1. Miscell. cap. 24. n. 6. Tiraquell. L. Connubial. 14. per tot. pag. 205. & seqq.* Plures profert à me dissentiens *Theodoric. Judic. Crim. Pract. cap. 7. aph. 7. num. 3. pag. 1045. add. Farin. 1. select. 10. Anton Gvibert. Costan. l. 1 qq. Iurid. cap. 16* (ubi teste *Besold. l. c.* agit de poculo amatorio, cicatâ, salamandrâ, aconito, pityocampis, bupreſtri, mandragorâ, cantharide & luſtramento, & cur ob ea pœnæ irrogentur) *Voltz. tit. de Homicid. c. 3. num. 9. lit. d.* Fecerunt idem Athenienſes olim, qui propter intoxicationem philtratam, quam mors excepit, Temniam quandam ſagam morte multârunt, teſte *ex Demoſthen. contra Ariſtogiton. Martin. Delrio l. c. pag. 371. Roderic à Caſtro, l. c. Hieroym. Jordan. in Tr. de eo, quod Divin. aut ſupernat. eſt in morb. human corp. ejusque curat. c. 23. pag. 88.* Simile de Jure Neapolitano atteſtatur *Matth. ab Afflict. lib. 3. Rubr. 41. de mal. & nox. medic. in pr. pag. 206.* Neque hoc ratione juris deſtituitur; poteſt enim Majeſtas pœnam facto debitam arbitrariam in ordinariam commutare, imò ad mortem usque extendere, ſi malum propter ſui frequentiam aliter ſedari nequeat: quare, quæ hîc, ob doli carentiam, inter eum, qui philtro occidit, & ultimum ſupplicium, quod leges ipſum ſubire jubent, eſt inæqualitas; illa *favore ſupergreſſi mandati Majeſtatici de philtro* in præjudicium proximi ejusque juris (liceat ſic loqui) quæſiti (tam vitalis, quàm rationalis) non turbandi vel enormiſſimè lædendi, aut planè abolendi; & *odio philtrantis temerarii*, qui, ſciens ſe, ſi contra juſſum ſupremi legislatoris, philtro propinato, fortè fortunâ occiderit, rurſus occidendum, nihilominus in facto ſuô prohibito pergit, ex merito compenſatur.

Thesis XLII. Reſpondet quidem, Jus Civile cum praxi modernâ in concordiam redacturus, *Carpz. cit. qu. 21. num. 19.* (verba *Petr. Theodoric. l. c. n. 4. pag. 1046.* ſecundum literam ſecutus) textum præſentem *l. 38. §. 5. de pœnis*, non de ſimplici philtro, quod tantum

conciliandi amoris gratiâ datur, accipi debere; Sed de tali *philtro, quod amasiæ, ad impediendam conceptionem & libidinem securius explendam*, exhibetur, in quo certè propinans itidem animo nocendi & occidendi carere nequit, dum genituram, ne ad perfectionem suam, perveniat & tandem in lucem prodeat, ex proposito impedit. Et licet quoad fœtum nondum animatum quis homicida esse nequeat, tamen, matre poculo amatorio necatâ, res hæc per se mali exempli eò recidit, ut perinde sit, ac si fœtus animatus fuisset occisus. Aliud verò dicendum est, juxta *Carpz. l. c.* quando *poculum amatorium tantum conciliandi amoris gratiâ* fuerit datum; tunc enim quia dolus deficit pœna mortis locum habere nequit juxta *l. 3. §. 2. ad L. Cornel. de Sicar.* Non abludit *Theodoric. l. c. num. 6. pag. 1048.* qui novo (ut putat) intellectu *l. 38. §. 5. de pœnis* ita interpretatur: amatorium poculum, ad impediendam conceptionem, præbibens, morte punietur, internecione matris secutâ, *non tàm* ob malum exemplum, *quàm* ob dolum & animum disperdendi genituram, ad effectum insuper per matris occisionem postea perductum. Matre verò superstite, quia dubium adhuc esse potest, an spes futuri partus revera sublata sit, nec ne; ideoque in dubio hoc propinantis factum, licet & in ipsam naturam & Deum injuriosum, tanquam attentatum delictum, saltem, alii mitiori pœnæ subjici debet, juxta *h. l. 38. § 5. de pœnis.* Unde nunc puto, simplex ad conciliandum amorem præbitum philtrum, nec L. Corneliâ notari, nec ex dicta *l. 38.* secuto etiam homicidio, ultimo supplicio vindicari; eò quod admodum crudele esset, quempiam nimio affectu superatum, bono Zelo sine ullâ occidendi intentione & dolo, à quo etiam quælibet fatua causa excusat, *Gilman. in Decis. Camer al. Vol. 25. Decis. 8. num. 2. & 26. Schurff. Centur. 2. Conf. 12. n. 2.* ejusmodi poculum exhibentem morte puniri. Quare eundem extra ordinem saltem relegatione coërcendum existimo, *arg. l. 3. §. 2. in fin. ad Leg. Cornel. de Sicar.* ita tamen, ut si præterea ad malum exemplum accedat finalis intentionis, ad vetitam libidinem aut adulterinum congressum directæ, turpitudo, quæ in medicamento procurandæ conceptionis plane cessat, tunc pœna quoque (citra mortem tamen) gravior, veluti nostris moribus fustigatio cum perpetuâ relegatione imponi debeat, &c. *Hæc Theodoric.* Jungi possunt *Melch. Goldast.* **Rechtliches Bedencken von** *confiscation* **der Hexen Gü-**

ter.

ter. §. 51. pag. 124. Dn. Mich. Freud. Gewiſſens Fragen von Zauberey/etc. qu. 347. num. 3. pag. 639. qui partes prædictorum ſtrenuè ſequitur. Sed hanc interpretationem *Theodorico-Carpzovianam* meritò nimis contortam dicit *Brunnemann. ad h. t. n. 2. pag. 670.* Quis enim docuit hoſce Doctores, ſub poculo amatorio in *l. 38. §. 5.* ſimul comprehendi debere poculum ad impediendam conceptionem, illudque hoc ſecum trahere? nonne in ſe diverſiſſima ſunt, amorem per philtrum primitus conciliare, & in conciliato, per aliud poculum impeditionem conceptionis ſecum afferens, perversè pergere velle? Quæ litera, ne dicam verbum aut ſententia, in lege noſtrâ poſterius hoc exprimit? Quis credit, contra abſolutum atque clariſſimum legis tenorem, ſimplex ad conciliandum amorem præbitum philtrum (quantumvis non ordinariè ex L. Corn. tamen nec) *ex d. l.* 38. ſi homicidium ſequatur, ultimo ſupplicio vindicari? ſed dabo de his ſpecialia *theſ. 51.* Commodius procul dubio feciſſent *Carpzovius* & ſocii, ſi, derelictâ Practicis (tàm apud Saxones, quàm alias Nationes) obſervantiâ ſuâ, in ſe, ut modò monitum, haud iniquâ, caſum hunc ſpecialem de philtrante morte puniendo ſimpliciter reſtrinxiſſent ad Jus Civile, quod non rarò illa, quæ primâ fronte abſolutè ſpectare ad æquitatem naturalem videntur, circumſcribere, imò adaugere, &, pro rerum variabili circumſtantiâ (v. g. hic propter frequentiam malorum exemplorum, aliquid, quemadmodum in puncto civilis, ita etiam pœnalis applicationis, eis vel adjicere vel detrahere valet. Ut rem in pauca conferam: non fuit mens Juſtiniani, in caſu philtri propinati, quod mors excepit, ſupplicium capitale dictare *propter aliquem dolum in occidendo adhibitum*, quem hic abeſſe poſſe, imò debere (aliàs namque ordinaria homicidii correctio per ſe locum merebitur, ut proinde nō opus habuerit *Menoch. Caſ. arbitr 358. lib. 2. pag. 482.* ad hunc caſum doloſæ mortis rem ſpecialiter reſtringere, non diffiteor: ſed *propter temeritatem*, quam pars venenans, contra expreſſam principis prohibitionem, ſcienter adeoque doloſè commiſit: ut ita *excuſetur quidem à doloſe occidendo intentionaliter*, ſed *non à doloſe philtrando*; quoniam in hoc quoque factum pœnâ capitis, morte ſecutâ, animadvertunt leges.

Thesis XLIII. Hinc non adopinor difficilem eſſe ſolutionem argumentorum, quæ in contrarium ſupra ex *Carpzovio* aliisque de-

promsi. Concedo siquidem libenter (1) Regulam generalem esse, quod in delictis maximopere propositum & intentio delinquentis spectanda sit, *l. 7. l. 1. §. 3. ff. l. 7. C. ad Leg. Cornel. de Sicar. add. Jul. Clar. in Pract. §. fin. qu. 84. in princ. pag. 376.* Ast limito hunc Canonem notabiliter : *nisi eadem intentio pœnæ quoque ordinariæ à lege positiuâ, æque culpæ, ac dolo, fuerit subjecta :* uti multis exemplis & casibus ostendit *Farinac. Oper. Crim. part. 3. de pœn. temperand. qu. 87. num. 39. & seqq.* in specie verò *num. 48. pag. 116.* & confirmat *Perez. in tit. C. ad Leg Cornel. de Sicar. n. 13. pag. 617. Jodoc. Damhouder. Prax. Crim. cap. 61. num. 89. pag. 93.* Quocirca verum esse potest, philtrantem animum dolosum ad occidendum non habuisse, quoniam si ille probetur ordinariæ, ut dixi, L. Corneliæ pœnæ subijciendus erit ; interim, sicuti ad nauseam ferè repetitum fuit, ipse philtrandi processus (ad libidinem potissimum excitandam) JCtis, atque eosdem suos facienti Justiniano Imperatori, in tantum exosus extitit, ut, tametsi ponatur dolum occidendi abfuisse, nihilominus ultimum supplicium sanciverit, *add. Paul. Girland. de Sortileg. qu. 12. num. 3.* quod haud obscurè colligitur ex verbis allegati *Pauli : Etsi non dolo faciant, tamen quia mali exempli res est:* Idcircò nescio, an defendi debeat *Theodoric. num. 3.* statuens, quod si in *d. l. 38. §. 5. de pœnis.* (pro cujus illustratione commendat *Marquard. Freher. Parerg. lib. 1. cap. 17. post Schepliz. Promptuar. & Claud. Battandier. Prax. Crim. Reg. 85. Henel. Ot. Wratislav. cap. 21. pag. 159.*) crimen exhibiti poculi amatorii, morte personæ, cui venenum propinatum est, secutâ, ultimo vindicatur supplicio, id non tàm ob rem per se mali exempli, quàm ob dolum propinantis, per Imperatorem decisum esse. Confiteor namque hîc adesse dolosam præcepti Imperatorii transgressionem, non verò dolosum occidendi propositum, quod Imperator urget. Instas : adest sanè in textu allegato dolosa necandi intentio, dum propinas partim (per poculum amatorium) partus conceptionem impedire, partim (per poculum abortionis) partum jam conceptum annullare studet. Respondeo, posito, hæc in se verissima esse (quamvis sciam aliter statuere *Heinric. Zoes. in Comm. ff. ad Leg. Cornel. de Sicar. num. 3. pag. 1030. cum Navarr. in Manual. cap. 27. num. 223.* negantes Lege Corneliâ de Veneficiis teneri propinantes mulieri poculum, ne concipiat ; quia licet peccent impediendo conceptionem & spem hominis non possint

inte-

interim dici occidere id, quod nondum est, adeoque pœnam aliam extraordinariam & arbitrariam huc apdlicantes *add. thes. 51.* attamen textui *l. 38. §. 5. de Pœnis.* minus judicio convenientia: quippe in quo neutiquam quæritur, quâ pœnâ quis affici debeat, ut rectè observarunt *Girland. de Sortileg. quæst. 13. num. 1. pag. 396. b. Dietherr. in addit. ad Besold. Thesaur. Pract. verb.* **Liebtränckleín** *pag. 592. Brunorus à Sole in Compend. resolut. proposit. Iuris verb. amator. pag. 11.* propter intentatum procuratumque abortum aut impeditum partus conceptum; Sed potius, quomodo animadvertendum in eum, qui alicui personæ poculum (vel abortionis, vel amatorium) porrexerat, *jung. infra thes. 50 Posterius* in hâc deciditur; *prioris* nulla fit mentio: perlege modò Ipsemet, Lector Benevole, textus verba, & postmodum judica. His addi potest non parum assensum meum confirmans lectio, quæ reperitur in libris *βασιλικῶν, l. 60. tit. 5. l. 38. §. 51. his verbis:* Ο δεδωκὼς πόμα πρὸς φίλτρον ἢ ἀμβλωτρίδιον κἂν χωρὶς δόλου, οἰτελὴς μὲν ὢν μεταλλίζεται, τίμιος δ' ἐξορίζεται μετὰ μερικῆς δημοσίσεως. Εἰ δ' ἀπέθανεν ὁ πιὼν, ἑκάτως τιμωρεῖται. i. e. Qui abortionis aut amatorium poculum dat, etsi dolo careat, humilior quidem in metallum damnatur, honestior verò relegatur publicatâ parte bonorum. Quod si eo is, qui bibit, perierit, ultimo supplicio adficitur. Hæc quoque est opinio *Dn. Præsidis*, qui totam Controversiam altius secum reputans mavult imposterum stare â partibus *Eckolt. ad tit. de Stat. Homin. §. 4. Goedd. ad. l. 1. de V. S. num. 32. Hahn. ad L. Cornel. de Sicar. n. 5. Limn. de Jur. Publ. l. 2. cap. 2. n. 23. pag. 16. Arnis. Relect. Politic. libr. 2. cap. 2. Sect. 12. num. 63. pag. 380. Goehaus. part. 1. Pericul. Academ. 2. qu. 15. pag. 52. Salmulth. ad Guidon. Panciroll. Rer. memorab. lib. 1. pag. 450.* utut olim cum supra allegatis Dissentientibus, quos seqvuntur *Bocer. tr. de omn. gener. homicid. lib. 1. cap. 1. n. 46. & seqq. Freher. 1. Parerg. 17.* (eleganter deridendus à Celso quodam, juxta *Dietherr. l. c.* quod verbum: *homo*: *in l. 38. §. 5.* ob eam causam ad solum poculum abortivum traxerit, quia philtro ingurgitatus non soleat emori, sed in furorem adigi, cui reclamat quotidiana experientia, *add. thes. 18.*) *Bachov. ad Treutl. Vol. 1. Disp. 2. thes. 1. lit. c.* contrarium defenderit *in Dissert. Curios. Justin. thes. 30. add. infr. thes. 47.* Cæterum an (obiter saltem monebo) rationem hanc Paulus in suo textu propterea adducere voluerit, ut *Aristotelis* quædam argumenta dilueret, à me alle-

allegata supra *thes. 39.* petitaque ex *l. 1. M. M. 17.* sicuti arbitratur *Andr. Alciat. Parerg. Jur. lib. 7. cap. 25. pag. 384.* Ego hâc vice neque anxiè curo, neque præcisè, ut credam, opus habeo. Dicit quidem ex *Alciat. l. c. Jacob. Menoch. de arbitr. Judic. quæstionib. l. 2. Cent. 4. Cas. 358. n. 5. pag. 482.* Aristotelem *l. c.* (utut ille *c. 16.* alleget) scripsisse, *§. abortionis.* esse contra Regulas juris gentium. Quæ verba *duplicem* intellectum habent: *primus* est, ac si *Aristoteles* voluerit legem Romanam hîc taxare, quod ego nec *Aristoteli* in mentem venisse credo, qui diu ante leges Romanas latas in vivis esse desiit. *Secundus* est, *Aristotelem* posuisse rationem formalem inter invitum & spontaneum, prouti ex verbis ejus elucet, citatis in *thes. 39.* asseruisseque eum, qui culposè, non dolosè, peccat, non esse pœnâ ordinariâ doli puniendum; idque ex jure inter gentes receptô: quæ interpretatio pro obscurè loquente *Menochio*, qui, uti non in cassum conjecturo, textum *Aristotelis* Ipse vix evolvit, aliquid facere potest. Sed tamen & tunc Princeps, facto culposo pœnam ordinariam doli imponendo, non egit contra jus gentium publicum & propriè tale, uti forsitan sibi imaginarunt *Menochius* & *Alciatus* (quamvis hoc in posterioris *l. c.* me legisse non meminerim) hoc enim, quâ statum inter gentes regit, ille, utpote respectu ejusdem privatus, immutare non potuisset, quin potius consuetudinem inter gentes moratiores, particulatim consideratas, privatim communem, ex parte suæ provinciæ abrogasset, quod cuilibet Majestati est concessum. Ut proinde satis crassè & cum vulgo loqui videantur, qui *d. §. abortionis.* contra Regulas juris gentium, verè talis, militare judicant: imò *Aristoteli* quoque injuriam faciant, qui solummodò philosophicè docuit, quid juris esse possit in actu lege positivâ non notato ex æquitate naturali; per hoc interim ne quicquam negavit, factum, licet invitum aut per ignorantiam commissum, quod facilè præcaveri potest, propter sui frequentiam & jussum magistratus, posse pœnæ dolo ordinario competenti subjici, *add. M. 39. 44. & seq.*

Thesis XLIV. Sic ut (2.) objectioni *Carpzoviana* satisfiat, perquam durum et crudele est, dolo vacantem ullo in crimine vitâ privari, intellige, si omninò dolo vacet, quod hîc in philtrante non procedit: quippe qui, quatenus egit scienter contra interdictum Imperatoris, venenare aliquem ad amorem, propter creberrimum abu-

sum;

sum, prohibentis, habuit omninò animum dolosum delinquendi (quamvis non tantum, quantum postea subsecutus fuit: vacat enim, juxta *thes.* præcedentem, doloso occidendi proposito) quare tenetur, intuitu hujus pœnæ ipso jure & voluntate Principis impositæ, de omni exitu & eventu, sicque non tàm ejus *voluntas*, quàm *veritas* attenditur, ipso confitente *Carpz. cit. qu. 1. num. 54.* qui rem ita ex *Bartolo* & *Tiraquello* decidit. Adstipulatur *Hennel. Ot. Uratislav. cap. 21. pag. 160.* Negari, inquiens, non potest, quin (in Jure Civili) rei illicitæ operam dederit (poculum amatorium propinans) etsi non in effectum secutum dedit, qui amorem sibi, modo & ratione tali, ex quâ semper, ne res in peius vergat, neve vel furoris causam præbeat, vel hominem etiam penitus evitet, subvereri necesse est, conciliare voluit: adeo quidem, ut si rem diligentius introspexerimus, licet non directò ac principaliter, tamen aliquo modo etiam occidendi animus inibi adfuisse, aut saltem, licet non fuerit in dolo ratione mortis, qui per philtrum occidit, fuisse tamen in dolo, quod dedit philtrum, dici possit, *jung. Harprecht. ad §. 5. n. 64. Inst. de public. Iudic. ibique plur. pro & contra citat. DD. Christ. Besold. in Delibat. Iur. part. 2. ad lib. 48. Pandect. quæst. 26. pag. 154. Eberh. Speckhan. centur. 3. Qq. Iur. 5. class. 2. pag. 374. & seqq. ibique plur. Dd. Ludovic. Gilhaus. Arbor. Crimin. cap. 2. tit. 12. num. 49. pag. 61. Rubr. de Homicid.*

Thesis XLV. Quod (3.) attinet *l. 3. §. 2. ad L. Cornel. de Sicar.* quam pro se & suis allegavit *Carpzovius*, planè illa de alio poculo, ad conceptionem scilicet dato, loquitur, cujus à poculo amatorio longè diversa, est natura: ut proinde quoque non sine causâ perperam à nobis dissentire hâc in explicatione *Carpzovium part. 1. Qu. 21. n. 19. in f.* voluerit *Iust. Meier. Colleg. Argentorat. ad tit. L. Cornel. de Sicar. n. 22. pag. 649.* quanquam somniasse *Harprechtum, Comment. ad Instit. de public. judic. §. item Lex Cornelia. n. 18. & seq.* eo quod inter *h. l. 3. §. 2. & l. 38. §. 5. de pœnis.* contrarietatem quandam extare crederet, non rectè dixerit *Nicol. de Passerib. in Concil. L. L. pag. 991. n. 60. & seqq.* Ipse enim *Harppr. num. 65. l. c. pag. 971.* se satis defendit in *verb. neque dictæ legi contradicit &c.* & audacem maledici Itali impudentiam accusat. Explicat quidem & pro Virili textum hunc palliat *Theodoric. n. 4. pag. 1047.* tali ratione: Si amatorium poculum de tali medicamento ad impediendam conceptionem exhibito acceperis, nulla erit difficultas, in quâ extricandâ aliàs Dd. multum laborant. Contextus ipse *l. 3. §. 2. ad*

Leg. Cornel. de Sicar. ad hanc acceptionem nos quasi manu deducit. Postquam enim traditum fuit, venenum, tanquam vocabulum μέσον, & *bonum* ad sanandum, & *malum* ad occidendum, adeoque etiam amatorium continere; Lege autem Corneliâ id tantum venenum, quod ad necandum quis habet, notari: postea per dictionem adversativam *SED*, ad differentiam poculi amatorii ad impediendam conceptionem exhibiti, cujus modò mentio facta erat, subjungitur de alio contrario poculo, quod scilicet adjuvandam conceptionem non malo animo datur; In quo, cum dolus desit, rectè id non L. Corneliâ, sed relegatione tantum coërceri dicitur, &c. Hocusque *Theodoric.* Sed, pace tanti JCti, judico, distinctionem ab Eodem prolatam optimam in se & in abstracto esse, ast ad interpretationem legis præsentis tertiæ parum aptè applicari posse. Casum legis sic induco: Postquam JCtus docuit Vocabulum *Veneni* esse aliquod medium, simul & ad bonum æquè, ac ad malum, usum applicabile, pergit per tria exempla hoc illustrare; nimirum dari Venena (1.) ad sanandum, puta medicamenta hominis salutem procurantia (2.) capacia ad per se occidendum, v. g. cicutæ & alia aconita (3.) ad hominem saltem alterandum, licet aliquando, præter omnem intentionem, mors sequatur, videlicet philtra variaque pocula amatoria. Postmodum decidit, quænam venena ad L. Corneliam spectent, nimirum quæ hominis necandi habent causam (partim dolosam, *uti h.l. pr. §. 1. & 2. l. 1. §. 1. h. t.* partim culposam, ipso jure tamen & voluntate principis prohibitam, *l. 38. §. 5. de pœnis*, nulla enim hîc præcisè determinatur) quamvis sciat aliquando ex Scto quodam (quod tamen quale fuerit, reticet, & propterea nescitur juxta *Gloss. h. l. pag. 1483.*) relegari jussam esse eam, quæ non quidem malo animo, sed malo exemplo (ipso jure & voluntate principis sub pœnâ mortis *non* prohibito, uti mox ante *ex §. 5. l. 38. de pœnis.* probatum,) *add. thes. 41. hujus Dissertat.*) medicamentum ad conceptionem dedit, ex quo ea, quæ acceperat, decessit. Perlustret proinde & releget quilibet emunctioris nasi homo verba *l. 3. §. 2. ad Leg. Cornel. de Sicar.* & mihi aperte ostendat (1.) an mea, an verò Theodorici interpretatio casusque formatio sit verior? (2.) an distinctionem inter poculum *amatorium* ad promovendam & impediendam conceptionem perspiciat? (3.) an singularem & mihi contrariam operationem particulæ *SED*, quæ ter repetitur in *l. c.* invenire queat?

THESIS XLVI. Quid? quod meam assertionem nec ipse *Carpzovius* diffiteri possit *cit. qu. 1. n. 56.* si paulò penitius ejus ponderentur verba, quæ ad conciliationem horum duorum textuum (quamvis in aliâ paulisper homicidii inopinati materiâ, nostræ tamen nec quicquam adversanti) proposuit; agi nimirum (inquit ille) *in l. 3. §. 2. ad L. Cornel. de Sicar.* de eo casu, in quo poculum datur ad conceptionem, quod non periculosum est, quippe quod confici solet ex his, quæ vires corporis augent, hominesque & fœminas naturâ debiles medicamine ipso fortiores ad generationem reddit. Quâ ratione non ita tendit hic actus voluntate comprehensus in periculum mortis, ut tendit ille, quo quis dolosè alteri poculum amatorium dat, sciens mortem utplurimum sequi. Quam responsionem confirmat *l. si Quis aliquid. 38. §. qui abortionis. 5. ff. de pœnis*, ubi is, qui mulieri poculum amatorium dat, ultimo supplicio afficitur; Nimirum quod dare poculum amatorium res sit per se illicita, quæ (eo quod componatur ex speciebus, vel ad corporis dissolutionem, vel ad affectiones animorum immutandas, facientibus) tendit in periculum mortis, perinde ut percussio dolosa, quæ fit gladio, vel instrumento, quô plerumque homicidium committitur, licet desit animus occidendi. &c. Hæc *Carpzov.* qui, tali ratione se explicans, habet secum consentientes *Perez. in tit. C. ad L. Cornel. de Sicar. n. 13. pag. 617. Just. Meier. Colleg. Argentorat. ad tit. L. Cornel. de Sicar. n. 22. pag. 649. Bartol. à Saxoferrat ad L. 3. §. 2. h. t. Brunnem. ad l. 3. n. 1. ad Leg. Cornel. de Sicar. pag. 651. Philipp. Matthæi, ad l. 187. de R. J. num. 31. pag. 601. cum multis à se allegatis Doctorib.* aliud quippe (verba ejus sunt) est ad conceptionem medicamentum dare, aliud explendæ libidinis causâ poculum amatorium propinare. Nam conceptioni qui inservire nititur, rem per se licitam facit, licet in modo peccet; sed qui libidinis explendæ causâ poculum præbet, non solùm in modo peccat, sed operam quoque dat rei illicitæ, cum petito amore per media licita potiri potuisset, atque ita ex ipsius parte dolus saltem implicitus intervenit: præsertim cum scire debuerit, pocula ista sic comparata esse, ut verisimiliter mortem inferant. Quam sententiam quoque probat *Alciat. in Cap. 25. lib. 7.* Παρέργων, neque ab illâ dissentire videtur *Anton. Gomez. in cap. 3. num. 33. Tom. 3. Variar. Resolut.* Quibus addi possunt ea, quæ hac de

re scribit *Menoch. in Cas. 368. (fortè cas. 358.) libr. 2. de arbitr. Judic. quæst.* &c. Hæc *Matthæi*, cui adjungo *Didac. Covarruv. ad Clem. si furiosus. de Homicid. tom. 1. part. 2. Relect. pr. num. 2. pag. 562.* quem, verbis in paucis modò mutatis, quoque adhibuit & allegavit præter *Perez. l. c. Carpz. l. c.* Illud, subjicit *Covarruv.* asseverare constanter non verebor, ideò apud *Paulum* ultimo supplicio delictum puniri, quod ille actus ex propriâ vi ac naturâ maximè tendat in periculum mortis aut gravissimæ læsionis: siquidem abortio ipsa, ob corporis dissolutionem, valdè periculosa est: poculaque amatoria in hac propinantur, ut judicium amatoris perturbent, mutent & evertant; quo fit, ut licet dolus absit, nec is actus animo occidendi & ideò per se & directè non possit dici homicidium voluntarium: indirectè tamen & per accidens dicatur ea occisio voluntaria magis: qui actus per se volitus, aut voluntate comprehensus magis tendat ad ipsius homicidii periculum. *Ulpianus* verò eum casum exposuit, in quo poculum datur ad conceptionem, quod non est ita periculosum, quippe quod confici soleat ex his, quæ vires corporis augent, hominesque & fœminas, naturâ debiles, medicamine ipso fortiores ad generationem reddit, quâ ratione non ita tendit actus hic voluntate comprehensus in periculum mortis, ut tendit ille, quo abortionis vel amoris causa pocula ministrantur, *add. Speckhan. l. c. num. 4. pag. 577.* Quamvis autem *Girland. qu. 12. num. 9.* hanc *Bartoli* & sequacium interpretationem multum simplicem nec tangentem difficultatem poculi amatorii appellitet, motus fortè ratione, quam supra protulit in *thes. 40.* de causâ mali exempli in poculo conceptionis, idq; tum maximè ideò, quod in conciliatione sæpe citatorum textuum *l. 3. §. 2. ad L. Cornel. de Sicar. & l. 38. §. 5. de pœnis.* nullum verbum fecerit *Bartolus* de poculo amatorio, de quo in utraque lege fit mentio: Ego tamen eandem judico optimam per tradita in *thes. 43.* Nam *in l. 3. §. 2.* de pœnâ poculi amatorii nulla plane fit mentio, ut ter vel sæpius repetii; & *in l. 38. §. 5.* ratione occisionis personæ propinatæ, de quâ solùm ibi quæstio est, juxta *thes. cit.* poculum abortionis & amatorium necessariò parificanda sunt.

Thesis XLVII. Alia solutio antinomiæ hujus apparentis inter *l. 38. §. 5. ff. de pœnis. & l. 3. §. 2. ad L. Cornel. de Sicar.* reperitur apud *Deltionem, l. c. pag. 372.* qui rem explicare conatur hunc in modum: Si ob malum

malum finem præbuit philtrum (utpote causâ abortus, vel illiciti amoris) sive tùm adhibitæ sint artes magicæ, sive non, mortis reus censetur ex communi juris Interpp. *argumento ad ff. qui abortionis.* quod & communi prudentum opinione receptum *Jul. Paul.* tradidit, *l. 5. recept. sentent. tit. ad L. Cornel. de Sicar.* neque id acerbum debuit videri *Anton. Gaibert. l. 1. Qu. Jur. cap. 16. n. 1.* dignus enim planè supplicio malus adeò animus, fini improbissimo per summum periculum & pessimum exemplum studens. Quod si non dedit ob malum finem, sed bonum (utputa ad arcendam fœminæ sterilitatem, ad conciliandum mariti animum à se immeritò alienatum) tunc, si accessit ars magica, adhuc punienda est audacia lethali supplicio. Capitale est enim his uti artibus; *knonio aruspicem. & ibi Dd. C. de Malef. & Mathem.* Si verò non adhibuit quicquam magicum, sed naturalibus usa fuit, quæ putabat non nocitura, extra ordinem mitius punienda est citra mortem, *arg. l. 3. ff. ex Senatusconf. ff. ad L. Cornel. de Sicar. & ibi Bartolus, &c.* Hæc *Delrio*; quo cum idem buccinatur *Eberhard. Bronchorst. Enantioph. Cent. 4. assert. 84. pag. 490.* Ast largior Delrioni, Bronchorstio, & sociis allegatis aliis distinctionem suam in thesi, cum & ipse eadem usus fuerim in enarratione pœnæ For. Saxon. *vid. thes. 39.* eandem tamen sequi nequeo in tali, quam ille facit, hypothesi Juris Civilis. Falsum enim (a) est, *l. 3. ff. 2. ad L. Cornel. de Sicar.* de poculo amatorio ad bonum finem ullam, vel minimam, facere mentionem, adeò quidem, ut nec argumento, quemadmodum tamen *Delrio* vult, hujus legis hæc sententia defendi queat; *partim* propter expressam mentionem poculi ad conceptionem dati, quod ab amatorio & ad affectionem conciliandam dato toto cœlo differt; *partim* propter generalem prohibitionem à *Paulo* annotatam & confirmatam jussu Imperatoris: *pocula scilicet amatoria non esse propinanda*; ut jam supra *thes. 42.* contra Theodoricum & Carpzovium satis, uti arbitror, est defensum. (b) Nullum verbum in legibus citatis reperitur, per quod stabiliri possit distinctio, in puncto diversarum infligendarum pœnarum, inter pocula *artibus magicis* & *naturalibus* comparata; Sed remanet in suâ firmitate canon, philtrationem in jure nostro semper haberi illicitam, *add. thes. 41.* Concordat cum hoc, juxta *thes. 43.* allegata doctrina *ad h. l. 3. ff. 2.* recentior *Dn. Præsidis*, per quam reformantur olim defensa *in Dissert. de Jur. Poculor. cap. final. 13.*

Thesis XLVIII. Devenit ad prolixiorem hujus thematis enodationem, cum *Delrionis* tamen & *Branchorstii* sententiis potissimum coincidentem, *Girlandus* (sive *Grillandus*, sive *Giraldus*, ut eum vocant *Damhoud. Prax. Crim. cap. 61. num. 143. pag. 100. Beyerlinck. in Magn. Theatr. Vit. hum. tom. 5. verb. maleficium. lib. 11. lit. a. pag. 206.*) hoc modo: In hâc materiâ poculorum duo sunt principaliter consideranda, quæ præcedunt casum mortis. *Primum est*, quod considerari debet compositio; *Secundum* est traditio: *in compositione* verò consideranda est causa, propter quam venenum ipsum componitur & fit. Aut enim fit *causa occidendi hominem*, aut *non*: *primo casu* sit locus pœnæ dictæ legis Corneliæ de Sicariis; *Secundo* verò non, ut *d. l. 1. in princ. & §. adjectio.* In *traditione* verò duo alia sunt consideranda, scilicet *causa proxima & immediata*, quæ respicit principium, id est principalis intentio ipsius tradentis. Item *causa mediata* & finalis, quæ respicit finem actus, ad quem tendit animus illius, qui tradidit. Si enim proxima causa & principalis intentio tradentis tendebat ad occidendum, nulli dubium est, quod tradens tenetur pœnâ illius Legis Corneliæ de Sicariis, ut *l. 1. §. Divus. & l. 3. in princ. & l. in lege Cornelia. ff. eod. tit.* etiam quod mors secuta non fuerit, *l. 1. in pr. & l. 15. qui cum telo. C. eod. tit.* Si verò *non habuit animum occidendi*, tunc consideranda est illa causa remota & finalis intentio sive ultimus effectus rei, ad quem traduntur ipsa pocula. Aut enim traduntur *ad bonum & honestum finem*, sive conceptionis vel sanitatis, & judicantur bona & honesta, & tunc quis excusatur à pœnâ capitali morte secutâ, sed alia mitiori pœnâ punitur, ut *d. l. 3. §. adjectio. in f.* & supra diximus. Aut finalis intentio & ultimus ejus effectus tendebat *ad turpe & illicitum*, sicut est in poculo amatorio, cujus effectus est libidinis apprehensio & illicitus mulieris concubitus, vel alius, ut diximus supra, & habetur *l. eorum. in princ. C. de Malefic. & Mathem.* & isto casu non excusatur propter principalem ejus intentionem sive causam proximam, sive quod non habuerit animum occidendi; Sed attenditur magis illa causa finalis & ultimus effectus, ad quem venena tendebant, & ideo indubitanter punitur pœnâ ultimi supplicii, *d. l. si Quis aliquid. §. abortionis.* ubi est casus, *ff. de pœnis*, & ratio decisionis est, quia dabat operam rei illicitæ, ideò non videtur excusandus, quia dicitur esse in culpâ, & ideo tenetur etiam in casu fortui-

fortuito, qui præter ſpem & intentionem inopinatæ provenit; ut eſt caſus *in C. fin. de Homicid. lib. 6.* & facit textus in *arg. in c. ſicut dignum. eod. tit. in antiq. l. ſi mulier. ff. quod met. cauſ. l. qui occidit. §. in hac. ff. ad L. Aquil.* Ex quibus patet, quod illorum trium venenorum, de quibus in *d. l. 3. §. adjectio.* non eſt omnimoda ſimilitudo quoad omnia, ſed ſolum quoad primas cauſas, reſpectu compoſitionis & traditionis in eo, quod in utroque deficit animus occidendi quoad iſta ſunt ſimilia & æquiparata, ſed quoad ultimum effectum & cauſam finalem ipſius traditionis ſunt diſſimilia, ut ſupra diximus: quia ea, quæ fiunt ad ſanandum & concipiendum, habent honeſtum & laudabilem finem, *l. eorum. §. fin. C. de malefic. & Mathem. & d. l. 3. princ.* ea verò, quæ fiunt ad amandum & flectendum, &c. habent turpem & illicitum finem, *d. l. eorum. in princ.* & diximus ſupra. Hæc *Girland.* Cui ſimiliter per ante datum reſponſum ad Delrionis excogitatam diluitionem (α) regero: in *l. 38. §. 5.* non rationem haberi bonæ aut malæ intentionis, ſub quâ poculum amatorium alicui fuit applicatum, ſed generaliter illud ibidem eſſe prohibitum, forſitan ob frequentiſſimum, quem ſecum fert, abuſum: (β) falſum eſſe, quodlibet poculum amatorium tendere ad turpem & illicitum finem, libidinoſum ſcilicet concubitum aut adulterium promovendum; cum & inter perſonas honeſtas ob finem itidem honeſtum adhiberi queat, ut *theſ. 35.* demonſtratum, & tamen in Jure noſtro Civili illud odioſum æſtimatur. Faceſſat igitur doctrina *Matth. Berlich. part. 4. Concl. Pract. 5. num. 66. pag. 50.* opinionem *Girlandi* vel ideò eſſe amplectendam ſtatuentis, quoniam ejus authoritas etiamſi nullis firmetur legibus, hâc in materiâ pro lege habeatur; proque ſuâ ſententiâ allegantis *Damhoud. l. c. in fin.* attamen (1) nec *Damhouderus* dicit, ſententiam *Girlandi* pro lege ubique *habendam*, ſed ſaltem communiter receptam eſſe & pro lege *haberi*; quæ inter ſe non parum differunt: quia non ſequitur hoc erroneum communiter receptum eſt & in provinciâ *pro lege habetur*; ergò etiam, falſitate compertâ, impoſterum cum *Berlichio* ulterius *pro lege eſt habendum.* (2) Elumbis eſt conſequentia: Girlando, JCto Florentino, apud ſuos & Romanos, apud quos Auditor Rotæ erat, fuiſſe ſuo tempore abſolutam authoritatem attributam; ergò nos Germanos etiam, contra manifeſtum rectæ rationis dictatum, eandem ſtringere debere. [3.] Notiſſimus

eſt

est *Berlichio* canon : quod multitudo errantium errori patrocinium non pariat, & JCtus sine lege & ratione loqui erubescat, adeoque ex opinione communi nulla certa probatio, sed probabilis saltem præsumptio, eliciatur, nec æstimandum sit Judici ex multitudine Autorum, quid melius aut æquius videatur : quare Ipsum ex merito cum suo *Girlando* hîc valere jussimus.

Thesis XLIX. Rursus aliam hujus gravissimi *modi theoretici* analysin recensèt *Girland. l. c. n. 10. p. 396.* Ego, subjicens, post aliquas meditationes consideravi, contrarium istud ita solvi posse, quod in *d. §. qui abortionis.* uterque habebat animum occidendi; *unus* occidendi infantem in utero matris, & sic est *homicida corporalis* : ut *l. prægnantem. & l. Cicero. de pœnis.* *Alter* autem qui dedit poculum amatorium, ex quo illud dedit causâ fornicandi & peccandi cum eâ, dicitur *homicida spiritualis*, quia illo peccato mortali occidit animam, *de consecrat. Dist. 4. quæris. de pœnit. Dist. 1. noli. & 22. qu. 5. ille. & c. si aliquis. X. de homicid.* Ex quo igitur uterque est homicida tàm in ipsa traditione, quàm in proposito; ergo pari pœnâ puniendi sunt. Sed statim de Jure suo remittit ipse *Girlandus*, responsioni suæ, procul dubio cerebrinæ, parum confidens, proindeque ita dicens : ista solutio parum valet, quia non reperio cautum de Jure Civili, quod pro uno peccato mortali quis incurrat pœnam mortis, sicut pro homicidio dolosè commisso, nisi in casibus à jure expressis. Magis explodendus est *Bachov. ad Treutl. vol. 2. Disp. 32. thes. 7. lit. a. & b. pag. 1285.* qui hanc pœnam *l. 38. §. 5.* tantum in exemplum venire contendit. Expressa siquidem decisio Imperatoris & tot terrarum, Jus Civile, ratione pœnæ capitalis, insequentium, Praxis contrarium demonstrat.

Thesis L. Per totum deniq; divinat *Girland. l. c. n. 13.* Magiam in hoc dubio, loco solutionis, adducens his verbis : Post hæc alio modo consideravi, responderi posse ad istud contrarium, quod in *d. §. qui abortionis*, ideò punitur pœnâ mortis ille, qui dedit, quia venenum illud fuerat compositum arte maleficâ per sortilegum sive maleficum, qui illud, Dæmonis instructione & suffragio interveniente, composuerat, secundum eâ, quæ diximus supra. In §. autem *adjecto*, compositum fuit arte & scientiâ naturali, scilicet medicorum peritiâ, nullâ interveniente superstitione. Ars enim ipsa malefica & mathematica est valdè reprobata & undique damnata, & per consequens omnia

mnia opera, quæ ipsi malefici faciunt, sive ad mortem, sive ad occisionem vel ægritudinem, sunt damnata, nec minori pœnâ puniuntur, quam pœnâ mortis, *l. eorum. in princ. C. de Malef. & Mathem.* ubi ponitur uterque casus, & unica est utriusque decisio & pœna: ea enim, quæ dicuntur *in d. §. qui abortionis.* debent intelligi & interpretari secundum terminos *d. l. eorum. in princ.* ideò atrocius puniuntur ibi, quam in *d. §. adjectio.* propter superstitionem illius damnatissimæ artis: & secundum istam declarationem ille *text. in d. §. qui abortionis.* non videtur esse ita exorbitans à jure communi, imò secundum jus commune regulatur. Ad textum autem *in d. §. adjectio.* potest dupliciter responderi. *Primò*, quia decisio illius textus, & pœna, de quâ ibi, non injungitur pro poculo amatorio, sed conceptionis, quæ sunt diversa quoad ultimum effectum, ut supra diximus; ergò debent diverso jure censeri, *l. Papinianus exuli ff. de Minor.* Si aliter enim evenit casus, quam ipse opinabatur, sibi imputet is, qui dedit poculum amatorium per modum superstitiosum, quia, ex quo à principio dabat operam rei illicitæ, ex hoc etiam non caret culpâ, ideò tenetur etiam de casu fortuito, ut *in d. c. fin. de homicid. lib. 6.* ubi si Dominus mandavit servo, quod acciperet baculum & percuteret Titium citra mortem tamen, & quod diligenter caveret, ne ipsum occideret, quia nolebat eum interficere, si tum famulus tam graviter Titium percusserit, quod ipsum occiderit, ille Dominus mandans non excusatur propterea à pœnâ homicidii, licet nunquam habuerit animum occidendi illum, & ratio est illa, de quâ supra proximè: pro quo facit textus *in C. sicut dignum. in princ. X. eod. tit. in antiq. l. si Mulier. ff. quod met. Caus. & l. qui occidit. §. in hac. ff. ad Leg. Aquil.* Venena igitur, de quibus loquitur textus in *d. §. adjectio.* non fuerunt facta per sortilegum sive maleficum per modum superstitiosum, sed arte naturali hominis & peritiâ Medicorum, sicut fiunt & componuntur venena sanativa Medicinarum: quod patet, quia in utroque titulo fit mentio de Venenis, scilicet *in titulo Legis Corneliæ de Sicariis. ff. & C. & in tit. de Malef. & Mathem. C.* Sed in *tit. Leg. Cornel.* fit mentio & tractatur de Venenis naturalibus, quæ hominis ingenio & peritiâ Medicorum, absque aliquâ superstitione, sive Dæmonis invocatione tacitâ vel expressâ, prout est venenum sanativum, quod miscetur in medelis ad sanandum corpora ægrotantium, *d. l. 1. & l. 3.*

in pr. ff. ad Leg. Cornel. de Sicar. Venena verò, de quibus loquitur titulus & jura *C. de Maleſ. & Mathem.* ſunt illa, quæ fiunt per ſortilegos, magos, maleficos aut negromanticos, & ſimiles, ope & ſuffragio Dæmonis, ad quæ illius invocatio diverſis precibus tacitè vel expreſſè ſemper intervenit, & habetur, & dicit *Joh. Lec. in ſummâ. conſ. cod. tit. qu. 11. & 13. & l. multi. l. etſi excepta. C. cod. tit.* Ex hac igitur declaratione colligit iſta diſtinctio, quod aut venena ſive pocula amatoria fuerunt compoſita per ſortilegum, ſive maleficum, modo ſuperſtitioſo & per invocationem Dæmonis tacitam vel expreſſam, & tunc, ſi ex illorum potu cauſatur mors potantis, tradens ille punitur pœnâ ultimi ſupplicii, de quâ in *d. §. qui arbortionis.* aut non fuerunt facta per ſortilegum, nec eo modo ſuperſtitioſo, ſed humanâ induſtriâ aut Medicorum peritiâ, & iſto caſu, morte ſecutâ, non puniatur pœnâ mortis ille, qui tradidit, ſed aliâ minori pœnâ, de quâ in *d. l. 3. §. adjectio.* Hæc *Girland.* Veruntamen Idem ille *Girland. n. 17.* imbecillitatem ſuæ reſponſionis ſponte (ſecus atque Delrio ſupra *theſ. 47.*) confitetur ſequentibus: Licet iſta ſolutio primâ facie videatur ſubtilis, & concludenter ſolvere nodum inter ipſas duas leges, præcedens tamen ſolutio (de quâ in *theſ. 48.*) mihi magis placet & eſt magis juridica, & hanc videtur tenere *Bartol. in d. §. adjectio.* ut ſupra dixi: hæc enim ultima in veritate ſapit divinationem; quia dicere, quod pocula illa, de quibus *in d. §. qui abortionis.* fuerunt facta per ſortilegum ſive maleficum Diaboli inſtructione, de hoc nullum verbum fit in *d. l.* nec ex aliquo indicio vel conjecturâ hoc deduci poteſt. Præterea video, quod pocula, quæ fiunt arte magicâ & traduntur mulieri ad flectendum pudicum animum ad libidinem, licet mulier ipſa moriatur ex poculi aſſumptione, tamen maleficus, & ille, qui ipſum conſuluit, vel qui ſcienter dedit poculum, puniuntur omnes ultimo ſupplicio, ut *l. eorum. in pr. l. nemo. & l. multi. C. de Malef. & Mathem.* ubi hæc expreſsè probantur & tamen in *d. §. qui abortionis.* & ex traditione illius poculi amatorii, quando mulier, quæ aſſumpſit, non moritur, non infertur pœna ultimi ſupplicii, ſed humiliores in metallum damnantur, honeſtiores verò in inſulam relegantur, confiſcatâ dimidiâ parte omnium bonorum ſuorum, ut ibi dicitur; ergò non eſt dicendum, quod illa ſint pocula facta arte magicâ, ſed naturali, prout ſunt ea, de quibus *in d. §. adjectio.* Sed ideò

diverſis

diversis pœnis puniuntur, quia tendunt ad diversum effectum, ut alias supra diximus, & hoc est de mente *Bartol. in d. §. adjectio.*

Thesis LI. Ad (4) Dissentientium argumentum (scilicet quod non credibile sit, à JCtis tam duram L. Corneliæ verbis, per se certis & claris, interpretationem adhibitam fuisse) excipio (*a*) me quidem opus non habere, ut à priori ostendam hanc Legis Corneliæ extensionem, quam JCti construxerunt, esse æquitati convenientem, cum verba *Pauli in l. 38. §. 5. de pœnis.* sua fecerit Imperator, & nunc (respectu rei liberæ Majestatis voluntati subjectæ) non amplius locus sit disputare, an Paulus legitimè interpretatus fuerit Legem Corneliam, an non. Interim, ut aliquid largiar, opinor, de credibilitate hâc satis constare ex *arg. l. 1. §. 3. ad L. Cornel. de Sicar.* ubi JCtus decidit, ex re constituendum esse, an aliquis pro homicida sit habendus & puniendus, v. g. qui gladium strinxerit & in eo percusserit, indubitatè occidendi animo id admisisse præsumitur. Potuit igitur hîc de facili contingere, ut propter nimium poculorum amatoriorum abusum, quem tot funera innocentium philtratorum comitabantur, itidem generalis JCtorum præsumtio (salvâ L. Corneliâ) locum inveniret, eum scilicet, qui amorem venenis procurare studuit, in actu quodam necandi illicito versari, adeoque necessariò puniendum esse. Vix enim pœnam ille criminis dolosi effugiet, qui scit aliquod venenum singulariter nocere mortemque secum inferre, & nihilominus illud, ad obtinendum quemcunque amoris finem adhibet, quem tamen mors potius antevertit & eludit, *add. plura in thes. 44.* Quid si (*b*) dicam propinationem poculi hujus amatorii illiciti ex interpretatione Legis Corneliæ, à JCtis susceptâ, olim planè non fuisse punitam, sed vocari debuisse crimen aliquod extraordinarium? Licet enim quidam contrarium exstruere conentur *ex l. 4. C. de Malef. & Mathem. l. 3. §. 2. ad L. Cornel. de Sicar.* imò etiam ex ipsâ à me hactenus sæpius citatâ *l. 38. §. 5. de pœnis.* tamen ad hos textus respondet *Just. Meier. in Colleg. Argentoratens. ad L. Cornel. de Sicar. num. 19. pag. 646.* putatque, quod *l. 4. de Malef.* loquatur de artibus magicis (per invocationem scilicet Diabolicam, sive tacitam, sive expressam, conquisitis) *item l. 3. §. 2. ad L. Cornel.* opponat amatorium poculum veneno, occidendi causâ expresse præparato, quæ duo in se & reipsâ satis distinguuntur. Imò *l. 38. §. 3. de pœnis.* juxta *Eundem Meierum* multò

magis ad extraordinaria crimina referenda est propterea, quod animus occidendi in propinante non sit, & mors præter voluntatem propinantis & omne propositum lædendi (secus ac in *thes. 39.*) accidat: Ut proinde ad judicium Legis Corneliæ hic locus pertinere non possit. Quare ita demum concludit *Meierus*: Sicuti dicitur *l. 3. §. 2. de Sicar.* Senatus Consultum factum esse, ut qui conceptionis poculum dederat, relegetur; Sic etiam Constitutionibus Principalibus ad L. Corneliam quid adjici (novæ scilicet legis) potuit. Eundem effectum quoad præsentem casum attribuit autoritati & interpretationi prudentum *Petr. Theodoric. cap. 7. Colleg. Criminal. aph. 7. n. 3. ex Damhouder. Pr. Crim. cap. 61. n. 88. & 89. Farinac. t. select. 10. A. Guibert. lib. qq. Jur. cap. 16. Voltz. ad L. Cornel de Sicar. c. 3. n. 9. lit. d. Wesemb. ad tit. L. Cornel. de Sicar. n. 28.* Nisi fortè (salvô asserto *Meieri*, *Theodorici*, aliorumque Dd. in se satis concinno) dixeris, quod eadem pœna, quæ poculo abortionis debetur, infligenda quoque sit poculo amatorio in *l. 38. §. 5. de pœnis*: Atqui poculo abortionis pœna *L. Cornelia de Venefic.* dictatur (puta capitis supplicium, si mors secuta fuerit, *l. 39. de pœnis*, secus si partus nondum animatus fuerit, *l. 8. ad L. Cornel. de Sicar.*) ipso fatente *Meiero l. c. n. 5.* Ergò idem de poculo amatorio dicendum. Sed ad hoc rursus excipio secundum supra *thes. 43.* ostensa, quod eadem sit pœna in *l. c. 38. §. 5.* (extraordinaria scilicet, vel aliquando capitalis, ad minimum autoritate principis, prævio prudentum consilio, Legi Corneliæ superinducta) poculi abortionis & amatorii ratione *propinantis*, non verò ratione *procurati abortus*. Propinans igitur poculum abortionis, cum animum occidendi non habeat imprægnatam, propriè ex L. Corneliâ propter hoc factum non tenetur, quamvis teneri queat propter crimen abacti & enecati partus viventis. Eodem modo, & multo magis quidem, à pœnâ Leg. Corneliæ (*ratione causæ* scilicet, sive quâ causatur ex hâc lege; non *ratione effectus*, propter sententiam JCtorum, quam, ut supra in hâc thesi lit. (*a*) monitum, suam fecêre Imperatores) liber erit, qui alicui applicuit poculum amoris. Consentit *Girland. qu. 12. n. 5.* dum venena, inquit, quæ non sunt facta hominis necandi causâ, prout sunt venena sanativa, amatoria, & ea, quæ fiunt ad concipiendum, non continentur sub lege illâ; nec pœnâ illius legis plectuntur, qui illa tradunt: & propterea *textus ibi in*

fine

fine exemplificat regulam istam, ponendo casum cum suâ decisione, videlicet, quod ex Senatus Consulto jussa est relegari mulier illa, quæ, non malo quidem animo, sed malo exemplo, medicamentum ad conceptionem dedit, ex quo ea mulier, quæ illud acceperat, decesserit. Ex quâ decisione probatur, quod omnia venena, quæ non sunt facta hominis necandi causâ, dicuntur non-mala venena, & ideò, si ex illorum potu quisquam perierit, qui tradidit, non tenetur pœnâ illius *Legis Corneliæ de Sicariis.* Ad (5.) Dissentientium dubium in *thes. 40.* allegatum agam pauciſſimis *Girland. l. c. n. 16.* verbis : Regulam illam (quod scil. unum determinabile, relatum ad plura determinabilia, debeat illa pariformiter determinare) veram esse procedereque, quando illa determinabilia sunt in omnibus æquiparata, & unica ratio in omnibus viget æqualiter ; sed quando inter ipsa militat diversa ratio, tunc nō possunt *pariformiter* determinari, sed *difformiter*, secundum quod militat diversitas rationis, *l. Lucius. & ibi Dd. ff. de Vulgar. & pupillar. substitut. & Bartol. in l. Titiæ. ff. de Legat. 2. Socinus, in l. cum avus. in 27. col. ff. de Condit. & Demonstrat.*

Thesis LII. Quid autem habendum (8.) de eo casu : *Si quis apud aliquem amorem venenatum illicitum solum moliatur* (v. g. philtrum aut aliud magicum applicando) *interim nullus planè effectus sequatur, an & ille venenans pœnâ quadam dignus censendus erit ?* Posset ab initio dici, Philtrantem *jure soli*, quod externa potissimum respicit, planè puniendum non esse ; nullus enim per hoc philtrum effectus est secutus, respectu læsionis proximi ; ergo, cum cogitationis pœnam nemo patiatur, per *l. 8. de pœnis.* nec ullum sequi poterit supplicium aut aliud aliquod scelus purgandi remedium, *add. Afflict. l. c. §. amatoria pocula. num. 3. cum Andr. in C. quidam. §. si voluerit. 2. de capit. qui curs. vend. 2. Feud. 51.* Veruntamen quia hîc non circa nudas cogitationes occupati sumus, sed illæ conatum quendam temerarium & attentatum exterius expresè involvunt, quod leges omninò punire solent, dicendum, judicis prudentis arbitrio rem omnem committendam esse, qui, intuitu diversissimârum, qui hoc loco se offerunt, circumstantiarum rem omnem ponderabit, gradusque pœnarum attendet. Levior namque conatus est, si amor illicitè tentetur adversus *maritum*, quàm *extraneum* ; & rursus gravior, si affectio culposè quæratur ad adulterium & stuprum committendum,

quam ad conjugium contrahendum aut contractum feſicitandum: iterumque major, ſi per magiam & operam Diabolicam, quam per remedia naturalia, ſive vehementiora, ſive inſolita quid proximo negotii cauſetur, &c. Nimis in utrumque oppoſitorum inclinat *Matth. de Afflict. Conſtit. Neapolit. l. 3. Rubr. 41. §. poculum amatorium. num. 1. pag. 206. & §. amatoria pocula. princ. pag. 207.* diſtingvens inter venenum *in cibo & potu applicatum*, cui (ſive læſio ſequatur, ſive non) publicationem bonorum & annuum carcerem adjudicat; & *extrinſecus ſolum collo appenſum & veſtibus inſinuatum*, quod, ſi innoxium extiterit venenando, ab omni pœnâ eximit. Allegat quoque exempla de Corallio & calamitâ item lapide magnetico in dorſo portandis, &c. quæ tamen, niſi prohibiti concubitus intentio accedat, uti hic ex mente Autoris præſupponere debeo, pro indifferentibus potius haberem. Sed mihi videtur hic Autor in neutro abſque cenſurâ dimittendus; *prius* namque quod attinet, ſatis grave videtur, conatum omni noxiâ, etiam præparatoriâ, deſtitutum eâ ferè ſeveritate corrigere, quâ plenum effectum ſolemus. Sola quippe incareeratio annua diſcrimen hic ſtatuitur inter ſecutos effectus nocivos & non nocivos; cum tamen publicatio bonorum (pœna profectò graviſſima) retineatur: niſi igitur, excuſationis loco, vel ad pœnam Conſtitutionis Neapolitanæ impoſitam *ipſo jure*, de quo ſupra *theſ. 39. & 41.* rem reſtringas (utut ex verbis Conſtitutionis nihil hujus rei concludendum putem) vel ad ſolum placere Majeſtaticum, quod obſervantiam hanc pœnalem corroborare potuit, cum *Matth. Afflict.* confugere velis, rigorem hunc ægrè excuſabis. *Poſterius* multo minus probabile videtur, quoniam, ut ſupra *theſ. præſ.* monitum, venenans non verſatus eſt tantum in nudo cogitationum actu, ſed etiam ad exteriora, hoc eſt conatum, profiliit, quamobrem leges noſtræ poſitivæ ſcandalum hoc Reipubl. datum meritò pœnâ quadam, etſi extraordinariâ atque temperatâ, aſſopire ſatagunt. Mitior *Matthia eſt Proſp. Farinac. de homicid. part. 5. Qu. 122. tit. 14.* aſſerens *num. 117. pag. 214.* ſi nihil datum in cibo vel potu, ſed aliquid extrinſecus modò, abſque admixto ſortilegio, applicatum fuerit perſonæ illius, cujus amor incitari intenditur, *nullam*; ſin verò in cibo & potu, *extraordinariam* pœnam, quam tamen non determinat, infligendam eſſe, *jung. arg. n. 112. pag. 213.* *Poſterius* ei largior;

Prius

Prius constanter, secundum hactenus tradita, atque, ut reor, sat firmiter probata pernego. Per externa enim medicamenta, modò in se nociva fuerint, perinde corpus alterari potest, ac per ea, quæ illud ingrediuntur atque per cibum & potum capiuntur. Cæterum ejusmodi philtra propinare tentantes & per ea dementare homines satagentes in lenocinii crimen incidere, iisdemque pœnis, quibus Lenones, subijciendos esse vult *Petr. Gregor. Tholosan. Syntagm. Jur. univers. l. 34. c. 12. n. ult. pag. 672.*

Thesis LIII. Supra *thes. 16.* alterius alicujus amoris & cum ope Diabolicâ arteque magicâ combinati mentionem feci, mediante quo fœminæ juvenes in capro sibi advehi curant: quoniam verò hoc factum est per se satis periculosum & detestandum, non immeritò disquiritur (9) *quæ pœna ejusmodi venenantem manere debeat?* si de nullo fœdere expresso aut pactione cum Dæmone initâ constat, nec advecto nocitum fuit, pœnam fustigationis sufficere docet ex *Matth. Colero part. 1. Decis. 180. n. 14. & Reinh. Ros. ad Daniel. Moller. Constit Elect. 2. part. 4. n. 6. Carpz. Pr. Crim. part. 1. qu. 50. n. 61.* qui itidem in casu, ubi vetula, amore lascivô juvenis capta, eum, artibus magicis, absque tamen nocendi intentione, in capro sibi advehi curaverat, & ex quâ vecturâ juvenis nullum damnum acceperat, à Scabinis Lipsiensibus fustigationem cum perpetuâ relegatione Mens. Maj. Ann. 1621. dictatam scribit *part. 4. Jurisp. Forens. Const. 2. Def. 9. in verb.* Hat die Gefangene N. bekant und gestanden / daß sie durch Zauberey / in dem sie Kräuter gekocht und gewisse Wort dazu gesprochen / N. N. einen Bauersmann vom Dorffe hinein in ihr Hauß aufm Bocke holen lassen / zu dem Ende / daß er ihres Willens mit ihr pflegen solte / so er aber / als er zu ihr gebracht worden / nicht thun wollen / hätte sich ausser diesem niemahls der Zauberey beflissen / noch jemanden dardurch Schaden gethan. So wird sie ihrer verbrechung wegen mit Staupenschlägen des Landes ewig billig verwiesen / V. R. W. Quod si verò damnum quoddam alicui per vecturam ejusmodi inferatur, dubitandum non est juxta allegatos Dd. quin fœminæ delinquentes gladio puniri queant, *add. Decis. Lips. 47. vol. 3. Freud. de Venefic. Quæst. Consc. 348. Dn. Bechmann. in Comment. ad ff. tit. ad L. Cornel. de Sicariis & Venefic. Observ. Pract. 20.* Imò, si hoc provenerit ex prævio cum Diabolo pacto vel aliâ conversatione familiari, sub intentio-

tione vehendo nocendi initâ, pœna quoque ignis vel gladii hic locum meretur, etsi fortè nocitum non fuerit, quo de *vid. thes. 36. & Carpz. l.c. Def. 1. 2. & seqq.* Consentiunt cum *Carpzovio* in omnibus hisse traditis *Matth. Berlich. Concl. pract. 5. part. 4. n. 67. pag. 51. Matth. Coler. Decis. Sax. 180. num. 14. pag. 510.* Atque ita totâ die à Scabinatibus Saxonicis pronunciari videmus : ubi tamen mihi (salvâ authoritate Magnorum JCtorum) haud leve dubium suboritur, imprimis si supra in *thes. cit. 36. Berlichii* verba cum Ejusdem allegatis legibus & reliquis Doctoribus confirmantibus, *Damhoudero* sc. ac *Girlando*, combinavero, simul & ipsam *Carpzovii* mentem sub rationis incudem accuratius revocavero. Putat enim (stante hâc hypothesi, quam nemo aliter intelligere poterit, qui textus Juris Civilis more *Berlichiano* ad Constitutionis Saxonicæ explicationem adhibuerit, nisi forsitan exceptionem ex regulâ, cujus est exceptio, probare velit) *l. c. Berlich. n. 65. sive* pactum expressum præcesserit cum Diabolo, *sive* non, modò magicis incantamentis persona ad amorem alterius conciliandum usa fuerit, eam gladio esse puniendam etiam in foro Saxonico ; *quæ igitur causa est, cur sæi tam citò oblitus fœminam per caprum Diabolicum aliquem, ad libidinem explendam, adduci sibi procurantem tum demum gladio enecari velit, si advecto nocitum fuerit ?* Adsuntne & hîc artes magicæ perfectissimæ, aut opinaturne fortè *Berlichius*, ejusmodi equum periculosissimum alicui remediis naturalibus obtingere posse ? Annon hic potius ad maximè horribilem tentationem Dei Opt. Max. reflectere debemus, dum proximum nostrum diabolo concredimus, à quo, peracto opere libidinosæ Veneris, reducitur; quam ad damnum vehendo causatum ? Ego sanè non dixerim. Consimili ratione, ut cum *Carpzovio* quoque agam, creditne ille ejusmodi vecturam absque invocatione & sollicitatione Diabolicâ esse dabilem ? aut talem libidinosam mulierem levius peccare, atque eum, qui ad res amissas inveniendas Diabolum citaverat, & vi illius citationis pacificæ iterum dimiserat, cui tamen propterea *l. c. n. 41.* pœnam gladii à Scabinis dictatam esse meminit ? Annon hîc Diabolus est præsentissimus, cui in adducendo & reducendo corpus amasii per preces magicas commendatur? Ubinam major levitas, in inveniendo deperdita, an in transportando hominem ope diabolicâ committitur ? uno verbo, ego non video nec etiam intelligo, quem-

ad-

admodum horum celeberrimorum Criminalistarum contradictiones per rationes ab ipsis allatas salvari possint, nisi ad solam recurras observantiam, dicasque, alios magos aliter; Vecturam tamen Diabolicam (dolosè, non verò ex intoxicati amoris impetu, *vid. infr. thes. 70.*) conciliantes, ita, ut à citatis Dd. propositum est, levius puniri propterea, quia ita Principi cuivis territoriali placuit.

THESIS LIV. Notum est (10.) ex *§. fin. J. de Successionib. sublat.* mulierem servili amore bachatam, cum amissione bonorum & libertatis, ex SCto, propter jus accrescendi, in dominium concessisse ejus, qui servum stuprantem in potestate habebat: quod, licet, tanquam libertati odiosum & temporibus suis indignum, Justinianus abrogaverit, & à suâ civitate deleri atq; Digestis non inseri jusserit (jurene an injuria? alii videant: multi namque Justiniano dicam scribunt non solum propter hoc, sed etiam propter abrogationem L. Fusiæ Caniniæ: qvum per has sanctiones suas maximè præjudiciales brevi spatio urbem, imò totam Rempubl. Romanam, nebulonibus aliaque pauperculâ libertinorum sentinâ repleverit & alii multifariæ nequitiæ non parvam licentiam ansamque dederit) tamen, ante cessationem hanc, limitationem admittere potuisse reor, si servus per desiderii poculum mulierem liberam ad hoc flagitium induxerit. Remansit quidem alia non parum gravis animadversio concubitus servilis, à Justiniano comprobata *in l. unic. C. de Mulierib. quæ se propr. Serv. junx.* Mulier quippe se servo proprio jungens debebat decollari, servus vero comburi, *add. Bald. ad h. l.* Ast nullum dubium, has pœnas potuisse mitigari exceptione philtri à parte justificandâ oppositâ. Possunt præterea prædictæ passim pœnæ non parum aggravari, si tertius interveniens venenationem amatoriam solius vindictæ, item intentionis mortis inferendæ aut alterius lucri cupidinis gratiâ (puta si quis aliquem extremè fascinaverit erga personam, quâ tamen in perpetuum potiri nequit, sed continuante mœrore & desiderio consumitur) susceperit, ex canone communi; *ubi major culpa & malitia, ibi exasperari debet pœna.* His personis lucrum captantibus non inconcinnè adjudicari poterunt, quas Germani Kupler sive Kuplerinnen appellitant, Græci verò προξενήτριας sive προμνηστρίας, de quibus *vid. Nov. 14. vers. præconizamus. post princ. ubi Gloss. in verb. invitam. vers. Nam si vult. pag. 117. Jacob. Curt. Conject. tom. 1.*

cap. 12. pag. 253. & Ordin. Crimin. Carol. V. art. 123. Jacob. de Belloviſio pr. Crim. lib. 1. cap. 9. verb. Lenonem. num. 12. verſ. & iidem Lenones. Proſp. Farinac. part. 3. oper. Crim. quæſt. 144. n. 24. & ſeqq. Carpzov. Pr. Crim. p. 2. Qu. 71. n. 63. Poſſunt etiam conveniri actione in factum, extraordinarie tamen, juxta *l. 1. l. 2. & 3. ff. de Proxeneticis. add. Dn. Struv. S. I. C. Exerc. 50. theſ. 88. qui adhuc alios citat.* Apud *Zeiller. Epiſt. 542. pag. 339.* extat exemplum, ubi maritus uxorem cum lena coegit adulterum ſuſpendere & poſtmodum conclave, in quo adulter pendebat ſuſpenſus, muro obdurare curavit, ut ita fame & fœtore fuerint enecatæ. Lenones, inquit *Tholoſan. Syntagm. Juris univerſ. l. 36. c. 11. n. 7. pag. 715.* Solon accuſatos & convictos morte damnari jubet, ut ait Æſchines; Eutymachus, quod puellam Olynthiam proſtituiſſet, capite mulctatus eſt, *Dynarchus contra Demoſthen.* Cleomenes, Tyrannus apud Methymnæos, tres vel quatuor lenas, quæ apertiſſimè lenocitari ſolebant, liberasque mulieres proſtituere, in ſaccis ligatas juſſit quibusdam immergere. Hermippus in libris de ſeptem ſapientibus, hoc ipſum feciſſe narrat Periandrum, *Athen. lib. 10. Dipn. 14. In l. 1. Cod. Theodoſ. de Raptu Virgin. l. 9. tit. 24. pag. 189.* ſancivit Imperator Conſtantinus, ut, quoniam parentum in filias cuſtodiæ nutricum fabulis & pravis perſuaſionibus deluduntur, his primùm, quarum deteſtabile miniſterium fuiſſe arguetur redemptique diſcurſus, pœna immineat, ut eis meatus oris & faucium, quæ nefaria hortamenta protulerit, liquentis plumbi ingeſtione claudatur, *add. Gothofred. in Notis ibidem pag. 192.*

Thesis LV. Novam quæſtionem feuda concernentem (11.) ſubdo, videlicet, *quid habendum de feudi amiſſione, ſi, ſolius conſequendæ affectionis ergo, Vaſallus Domino, aut vice verſa, philtrum procuraverint?* Confiteor caſum expreſſis verbis in jure feudorum non conſpici, quare ex aliis legum conjecturis de ejusdem deciſione laborabo. Si rem ex permiſſione juris naturalis æſtimare velimus, non video, an hic philtrans ſit corripiendus, qui, non magicis aut ſuperſtitioſis, ſed naturalibus potius, remediis motus appetitus irascibilis, nimis in ſubjecto quodam intemperanter ſe habentes, moderatur; nec peccatum furis unquam dat, ut proximo furo vel morbus, vel furor, vel mors denique concilietur. Si verò jus noſtrum Civile, quo legis peritus, ubi caſus emerſerit, qui conſuetudine Feudi comprehenſus

non

non est, absque calumniâ uti poterit, *cap. Obertus 2. Feud. 1.* examinamus, constabit mihi ex supra sæpè traditis, poculum hoc, ubique, odiosum, prohibitum, & per consequens illicitum ac punibile esse, sive intentata aut desiderata affectio impetretur à Philtrato, sive ex insperato eidem malum aliquod, aut planè interitus causetur. *Anne verò ex hoc sequitur, Philtrantem vasallum, aut Dominum feudi dominio utili vel directo privandum esse?* Posset pro affirmativâ sententiâ quid fundamenti peti ex *l. 38. §. 5. de pœnis.* ubi si mors philtrum non secuta fuit, venenans honestior in insulam deportatur, amissâ dimidiâ parte bonorum, *vid. thes. 38.* ergò similiter Vasallus philtrans dimidiâ parte feudi privandus videtur; Ast hoc argumentum nimis labile esse apparet ex *Nov. 134. cap. 13.* ubi expressè sancivit Justinianus, eorum, qui in criminibus accusantur, in quibus leges mortem aut proscriptionem definiunt, si convincantur aut condemnentur, substantias non fieri lucrum judicibus aut eorum officiis; sed neque secundum veteres leges fisco eos applicari: sed si quidem habeant ascendentes & descendentes, eos habere debere. Quoniam igitur publicatio bonorum (excepto crimine læsæ Majestatis & hæreseos, *Nov. cit. junct. Auth. Gazaros. C. de hæretic.*) Jure Romano recentiori non amplius frequentabatur, idcircò etiam conclusio ab hâc ad feudi privationem amplius non valet. Fortiorem, ut reor, probationem desumere quis valet ex *2. F. 6. 2. F. 24. in §. 2. junct. cit. l. 38. §. 5. de Pœnis.* ex quibus textibus sic colligo: ubi Vasallus Domino infert vim venenatam illicitam, ibi est privandus feudo; Atqui per philtrum Vasallus Domino infert vim venenatam illicitam: Ergo. Major est juris Feudalis, *2. F. 24.* Minor Juris Civilis, *l. 38. §. 5. de pœnis.* Instas limitando Majorem: ubi Vasallus Domino infert vim venenatam illicitam per *dolum*, ibi est privandus feudo, non verò ubi per *culpam*. Respondeo Dolus & Culpa, propter pœnam *ipso jure & expressis verbis* utrique impositam a legislatore, hic inter se æquiparantur, ut demonstravi *thes. 43.* & proinde idem est *dolosè* venenare & *culposè* philtrare. Instas porrò, me docuisse supra, si mors non fuerit secuta, pœnam non *ordinariam*, sed *arbitrariam*, locum habere debere; ergo nec tum videtur Vasallus feudo privandus propter *solam philtrationem*, sed potius propter *philtrationis effectum*. Respondeo iterum, diversitatem esse inter pœ-

nam corporis afflictivam & privationem feudi; *in illâ* decerne nâ omninò respicitur in jure effectus, *in hâc* quoque sufficere potest conatus, *arg. 2. Feud. 51. §. si voluerit 2.* Interim per hoc minimè præjudicare volui Judici Feudali, quo minus ille, imprimis moribus nostris & juxta observantiam Saxonicam (quippe secundum quam in genere rigorosa per jus Civile philtris dictata pœna non attenditur, *vid. thes. 39.*) petitam hanc animadversionem Feudi privativam Actori, venenum amoris sibi propinatum prætendenti, denegare, mitiusque in philtrantem, pro circumstantiarum v. g. medicamenti, causæ, temporis, personæ. &c. varietate, statuere arbitriumque suum interponere valeat. Manifestior feudi amissio profitat, si Vasallus Domini uxori philtrum quocunque modo præparaverit, hoc est, si rigorem Juris Feudalis sequi velis, licet eidem solum porrexerit, mulier verò non biberit aut comederit: imò tametsi hoc quoque factum nullus interim effectus amoris secutus fuerit. Loquantur pro me verba *l. F. 5. princ.* ubi Vasallus feudum amittere censetur, etiam si cum uxore Domini concumbere se exercuerit; quod ita explicat *Dn. Struv. S. I. F. cap. 15. aph. 9. n. 9.* si Vasallus uxorem Domini ad concubitum per munuscula, literas amatorias, &c. (quibus, propter singularem alterationem in fœminâ causatam, à minori ad majus argumentans, pocula amatoria accenseo) sollicitaverit. Idem etiam de sponsâ tradunt *Vultej. de Feudis, l. 1. c. 11. n. 31. pag. 695. & seq. ibique plures allegati.* De filiâ, nepte ex filio, nuru & sorore Domini, quæ adhuc in capillo est, aliisque personis, de quibus per extensionem agunt Feudistæ, mihi simile judicium non erit; cum hoc ad concumbendum exercitium textus feudalis non tangat, sed præcisè stuprum requirat; tametsi interim aliæ pœnæ, quæ philtrantes manere debent, salvâ feudi retentione, hic locum obtinere queant. *An* (12.) *gratia Principis aliudve ejus promissum aut beneficium servandum, posito quod constet, ipsum per philtrum ad hôc præcisè fuisse adactum?* judicari poterit ex iis, quæ dixi *thes. 24.* Sed *an hic læsæ Majestatis crimen incurrat?* de Jure Civili puto quod maximè, cum versetur in facto illicito & prohibito, *l. cit. 38. §. 5. de pœnis.* extra illud, imprimis in Foro Sax. juxta *thes. 39.* à dolo absolvitur, atque extra ordinem punitur. *Quomodo autem* (13.) *animadvertendum in eum, qui literas, vulgò* Recepte, *fascinationem amatoriam aut alia venena*

nena magica continentes scripserit? Ei Scabinos Lipsienses pœnam virgarum cum perpetuâ relegatione dictasse, reperio *apud Daniel. Moller. ad Constit. Saxon. part. 4. Const. 2. n. 3. pag. 451.* qui cognatæ suæ ejusmodi schedulas confecerat, eô additô (juxta *Mollerum*) in responso, pœnam hanc scriptorem illum commeritum esse, etiamsi artibus illis cognata sua usa non fuisset, dummodò vel fateretur vel convinceretur, se eô animô literas illas scripsisse, ut artes illas, animum alterius ad libidinem pellicendi, eam doceret; aliàs enim solam relegationis pœnam sufficere existimarunt, & ita Ann. 1573. Mens. Septembr. ad Consultationem Senatus exteræ civitatis S. quæ jure communi utitur, responderunt. *Quid si* (131) *filius aut servus, jussu Domini vel Parentis, aliquem philtraverit?* posset videri ipsos pœnâ ordinariâ philtrantium afficiendos non esse, *arg. l. 4. de R. J.* quia velle non creditur, qui obsequitur imperio parentis vel Domini. Verior tamen erit affirmativa, quia, quæcunque facta sunt ejus generis, ut pietatem lædant, existimationem & verecundiam nostram, & sint contra bonos mores, *text. in l. filius. 15. ff. de Condit. Instit. & l. avus in f. 79. ff. de Jur. dot.* ubi etiam nec mandans velle possit, obstante juris autoritate; nec nos consensum præstare debemus, memores illius Apostolicâ sententiâ *Act. 4. & 5.* magis ut Deo, quam hominibus, hoc est parentibus & magistratibus, pareamus, *Bald. in auth. habita. n. 13.* ibi: Si Cæsar mandat id, quod est contra conscientiam, non est obtemperandum, neque in pace, neque in bello, *add. l. Servus. 20. de Oblig. & Actionib.* Jam verò hanc philtrationem ejusmodi factum prohibitum esse, quilibet noverit vel mediocriter sanus, *add. Christoph. Sturcius, in Comm. ad cit. R. J. n. 11. & seqq. pag. 34.*

Thesis LVI. Tantum de variis Philtrantium pœnis: examinabo etiam impostorum, *qua jure Philtratum peccantem manere debeant?* Non enim hic absolutè insons declarari debet, cujus, ut sæpe dictum, intellectus & voluntas intrinsecè cogi nequeunt: Nec tamen ubivis ordinariâ pœnâ affici poterit, cum ejus sensus non, sicuti leges pœnales præcisè requirunt, coordinati sint, ut liberum voluntatis directorium admittant; quin potius per venena, ad aliquid fortè illiciti appetendum, in tantum restringantur, ut sibi ipsis ferè derelicti non videantur, sed durissimo & (si naturam cujusvis Philtrati nudè ponderaveris) insolito animæ rationalis jugo opus habe-

ant, add. Simon. Majol. Dier. Canicular. tom. 2. colloqu. 3. de Sug. pag. 634. & seqq. Hinc sæpe evenit, ut vincula recti perrumpant, non equidem per dolosam prælectionem, quàm culposam *ex parte* philtrati & violentam dictamini rectitudinis repugnantiam. Quapropter ubi majori cautelâ, quam leges pœnales, quæ per se satis in foro soli rigorosæ, adeoque secundum quid odiosæ esse præsumuntur, requirunt, opus est; ibi etiam dolus, necessariò ad animadversionem ordinariam concurrens, quadantenus abesse fingitur, & per consequens etiam delictum ratione suæ malitiæ quadantenus excusatur atque mitigatur. Sciendum amorem (in genere) esse desiderium pulchri, inquit *à Castro, l. c. pag. 218.* illum verò, de quo hîc agimus, esse affectum vehementissimum & penè indomitum, visu vel notitiâ rei amatæ per sensus excitatum, quo amantis voluntas libero mentis judicio impellitur, ut illud objectum prosequatur, ex quo plus commodi & voluptatis sperat. Est autem affectus hic spei affinis, sed vehementior: hujus verò vehementiæ ac ferociæ causa est, quod plures animæ facultates in hunc affectum conspirent, vimque suam cogant ac uniant, ut vegetativa, sensitiva, appetitiva, quæ rationalem animam opugnant, partium principum, cordis nimirum, epatis, ac generationis organis, ita ut homines cum ratione insanire videantur, idcircò ejus vim & atrocitatem admirati Philosophi amorem non solùm ratione, verum etiam oculis privatum pinxerunt. Hic oculatissimus cum sit, nihil interdum omninò videt, & cum debilis, omnia superat: Ideo Poëta dixit: Omnia vincit amor, & cum parentum erga liberos, & brutorum in sobolem affectus ardentissimi sint, eos tamen effrenis amor superat: nam animi turpitudine conglutinatus amor homines adigit ad majorem insaniam atque errorem, quod *Virgilius* in pharmaceutriâ sic notavit: Sævus amor docuit natorum sanguine matrem commaculare manus, Medea filios discerpsit impatientiâ amoris; Dido sibi manus conscivit: fortissimus Hercules effœminatus servivit Omphalæ. Samson arcana revelavit mulierculæ; nec non aliquando sanctorum animos vincit ac domat, & Spiritum Sanctum expellit. Hinc incesti concubitus, raptus adulteria ac reliqua scelera, quæ amoris comitantur vehementiâ, ita ut nec fama, nec virtus, nec pudor furori obstent. Ita sæpenumero, juxta *Rejes l. c. pag. 348.* suspirant amantes,

mo-

mœrent, gemunt, lamentantur, plorant, ejulant, turbantur, nunquam consistunt, desipiunt, delirant, insaniunt, seipsos confodiunt, jugulant, suspendunt, interimunt: sunt quippe amantium affectiones ita inter se discrepantes, cum ab unâ eademque causâ oriantur, ut divinitatis aliquam suspicionem ingerant, cum humanam omnem vim superent, & rabido quodam furore abalienatos animos in mille distrahant modos; ut sunt velle, nolle, amare, odisse; blandiri, irridere, fallere, fingere, jocari, flere, misereri, flecti, placere, displicere, irasci, placari, dejici, attolli, titubare, subsistere, progredi, retroverti, inchoare, desinere, dubitare, errare, falli, nescire; discere, oblivisci, meminisse; invidere, contemnere, minari, parcere, fastidire, despicere simulque suscipere, & potissima illa quatuor furoris plena, sperare seu cupere, gaudere, metuere & dolere, appetere, respuere; sequi, declinare, prosequi & omittere, &c. Hæc *Rejes.* Videtur contra hoc cum affectis suis satis probabiliter insurrexisse *Joh. Bokelius, de Philtris cap. 5.* quo magis, innuens, amor inhonestus, eò majori studio, ingenio, arte ac industriâ amans eum dissimulat, ac celat alios, ne raptus, incestus, vel adulterii convictus suorum flagitiorum atroces luat pœnas. Hæc sanè qui faciunt, mente capti mihi minimè videntur, siquidem astutè, callidè & ingeniosè multa inveniunt, comminiscuntur atque faciunt, qui alios, quorum hæc scire magni interest, fallunt, ut dulcior semper, ac ingeniosior furtiva Venus. Quam astutè ac callidè raptores & adulteri flagitia sua occultare, & fugam suam adornare soleant, notum est omnibus, nihil ut prudentius, nihil ut ingeniosius factum invenias. Hoscene furiosos amantes, vel insanos dixeris, qui alios astu suô ac dolis mirificè fallere norunt, consiliaque disquirunt varia ac callida, quo amato fruantur? etsi hac non succesſit, aliâ rem aggrediuntur viâ, quò aliis fucum facere possint. Nec rarò eventus ipsorum consiliis conatibus ac votis respondet. An hæc sint desipientis, & furiosi hominis instituta, qui sanæ mentis est, facilè dijudicaverit? Hujus rei exempla infinita in sacris ac aliorum scriptis extant, ex quibus amantium astus, callida consilia & ingeniosos conatus facilè cognoscimus. Veruntamen ut Bokelio satisfiat, confiteor, amorem foras conceptum non semper excusationem mereri; sed quid hoc ad thema nostrum? ergo amore philtrato, & respectu causæ efficientis, visu rei amatæ con-

citato judicium amantium non privatur? Brevibus, multus exuno error; affirmavit (a) in fronte *huj. Diſs.* ſuam hæreſin Bokelius, quã reagitare in gratiam Lectoris piaculum duco. (b) Quæ conſequentia: amor forte fortuna conceptus, viſu rei amatæ non poteſt judicio amantem privare; ergo philtrum hoc nullũ poteſt? Doceat modo Bokelius cum multis Neotericorum (quorum quidem laudum probè ſcio) cogitantiam moralem tempore amoris extremi, an ſcilicet illa judicium rectæ rationis relinquat; & mihi poſtmodum inter actum *materialiter* (intelligo id quod geſtum eſt cum nexu quodam phantaſiæ, ſenſuum externorum & aliquali convenientiâ rectæ rationis) ac *formaliter*, (hoc eſt, cum prælectione, item dictamine rectæ rationis, conſtanteque animi motu) geſtum diſtinguat. (c) ut melius me explicem, quid apertius, quam delirantes, ex ductu phantaſiæ, quid? noctambulones ſæpius maximè rationabilia egiſſe: velisne exinde cum Bokelio argumentari; ipſos habuiſſe proæreſin ſive dictatum rectæ rationis deliberatum ad hunc actum immediatè influentem? ego non dixerim; Bokelius & hæreſis ejusdem volunt.

Thesis LVII. Rem per exempla reddam clariorem: quæro igitur (1.) *an amor venenatus in flagitio furti & rapinæ item robbariæ excuſet?* Quæſtionem hanc à nemine hactenus ex profeſso deciſam inveni, quin potius, diſcurſu cum eruditioribus habito, frivolam cognovi futuram exculpationem eorum, qui hoc modo ſcelus ſuum palliare cogitarint. Res tamen ſcrupulum mihi omnẽ demere non potuit. Cogitavi ſæpius, appetito ejusmodi inordinatos excitari in mulieribo imprægnatis, picâ & malaciâ infeſtatis, *vid. Schenk. l. 3. p. 349.* quas propterea, ſi furtum committant, à pœnâ ordinariâ excuſari nemo non dixerit. Sic novi naturaliter quosdam (procul dubio ex matris, dum uterum geſtaret, incautâ compoſitione, & indulgentiâ ejuscemodi affectuum per valetudinem irregulariter ſe habentium) eò fuiſſe latos, ut, ſi non re viſui expoſitâ, ad minimum per tactum, potirentur, animi deliquium paſſi fuerint, aut vehementiſſimam totius corporis commotionem ac convulſionem ſenſerint. Prouti è contrario experientia quotidiana atteſtatur, multos quasdam res (v. g. feles, agitationem taxillorum, bufones, araneas &c.) in tantum naturaliter averſari, ut, modò præſtò ſint, etiamſi illas non videant, totam ſui compagem commoveri animadvertant. Patet igitur ex

his

his, sympathiam & antipathiam, ex vi licet nos sæpe latente quadam magneticâ, naturaliter etiam in hoc casu dari. Hinc, salvô aliorum, quod nunquam subterfugiam, judiciô, colligerem ego, si, per venena, commendationes, incantationesque Satanicas exorbitans ejusmodi affectio, vel, si mavis, appetitus rei alienæ concupiscibilis, sicuti de Casus dabilitate ex toto desperandũ non est, artificialiter concilietur, talem coactè se habentẽ personam à Scabinis, qui hasce rerum circumstantias ex actis inquisitionalibus sufficienter edocti sunt, pœnâ lege superius strictè sancitâ gravandum non esse. Canon siquidem est communissimus, furtum sine furandi affectu non committi; & leges nostras in foro externo tum demum pœnam ordinariam infligere, quando voluntas libera & dirigens subjectum dirigendum perinde, ut leges præsupponunt, absolutè coordinatum offendit, quare cum hic aliquod requisitum in puncto regiminis deficiat; & per se minima quoque circumstantia rem totam variet, manebit, uti reor, Conclusum meum de pœnâ extraordinariâ ubique firmum.

Thesis LIIX. *Sed quid (2.) statuendum de hoc casu: quidam accusatur de receptione furum; hic excipit & docet, se tunc temporis philtratum fuisse, recepisseque res non furis peregrini, sed suæ amasiæ, quam tenerrimè amavit, & contra; quæritur an sit audiendus & excusandus à pœna* (v. g. relegationis temporalis aut perpetuæ, item incarcerationis aut mulctæ, pro facultate patrimonii sui, sufficientis pecuniariæ) *quæ Receptatoribus alias communiter juxta Carpz. part. 2. qu. 87. num. 49. & seqq. item p. 3. qu. 134. n. 37. & seqq. infligi solet?* Non dubito, per hactenus frequentissimè tradita, affirmativas hîc fovere partes, *arg. l. 2. ff. de Recept. add. Matth. de Afflict. ad. 2. Feud. 53. §. conventicula. vers. receptatoribus. n. 12. pag. 648.* imprimis si philtrum prætendens non simul de recepto participaverit, aut aliud fortè lucrum rei suæ familiari exinde sibi conciliaverit. Consentientem habeo *Jul. Clar. l. 5. sent. §. fin. qu. 60. n. 10. pag. 295.* allegantem quendam inquisitum ex *Chassan. sup. Consvetud. Burgundiæ. n. 13. pag. 39.* cujus in facti contingentiâ personam excusatam fuisse attestatur.

Thesis LIX. Subjicio his (3.) statutum locale Neapolitano-Siculum, juxta quod ascendens cum scalis ad domicilium alienum punitur pœnâ ultimi supplicii, secundum doctrinam *Bald. in l. fin. cir-*

ca fin. ff. de R.D. Quæro igitur, *an si ex causâ impetuosi amoris venenati, & quidem legitimè probati, quis hoc fecerit, à pœnâ ordinariâ eximendus sit?* Pro-Rex sanè Neapolitanus hanc excusationem in puncto amoris generaliter ex stimulis carnis Venereæ excitatis admittere noluit, de quo attestatur *Jul. Clar. l. 5. Pr. Crim. §. fin. qu. 68. n. 4. pag. 331. it. Qu. 60. n. 10. p. 296.* & Proregis sententia defensorem invenit *Gramm. Decis. 36.* Attamen judicio totius Italiæ, juxta eundem *Clarum*, hæc sententia visa fuit nimis severa & crudelis, maximè attentâ bonâ qualitate illius Nobilis Juvenis, & causâ, propter quam adscenderat, quæ fuit amor cujusdam pulcherrimæ puellæ, qui etiam prudentes viros sæpius excæcavit, ipso fatente *Gramm. sup. Const. Regn. fol. 3. Col. 1. n. 6.* Judicabis igitur, Lector, ipsemet de amore nostro philtrato. Appositè enim dicit, imò satis ad thema præsens convenienter, *Natalis Comes, Mythol. l. 8. c. 23. p. 921.* Amor facit, ut neque nobilitatem majorum, neque Majestatem Imperii tantilli faciant plerique, neque intelligant, his motibus agitatos à cæteris omnibus derisum & contemtum iri; nam sic virtus & illa animi divinitas, quæ rerum omnium preciosissima est & Deo gratissima, contaminatur & conculcatur, captivaque ab amore, quo lubuerit, trahitur. Facit enim amor, ut turpia, deformia, tristia, damnosa, lætissima, utilia, pulchra, honesta, atque laudabilia videantur. Quare etiam *Clar. l. c.* legitimè judicavit, hanc *Baldi* opinionem apud se non servari; sed qualitatem hanc ascendendi cum scalis aggravare tantummodò principale delictum furti, si adjunctum fuerit: in se enim amor, præprimis nimius & vehemens, excusat, *add. Matth. de Afflict. Decis. 276. & Mant. l. 2. Cons. 31. n. 2. & talio Baldo debita, inq; Bartolũ ab eo intonata ap. Rumelin. ad A. B. p. 3. D. 5. thes. 19. ibique Myler. eum sc. in inferno esse, propter quoddam effatum suum nimis rigorosum, cruciarique cum sectatoribus.*

Thesis LX. Felicior quæstio sese offert (4.) *si quis philtratus amoreque extremitus ardens, ad obtinendum suum intentum, tertio fortè, qui ei amoris complendi remoram* vel scienter, vel etiam inopinatò *injecit, damnum det, eiusque v. g. fores aut fenestras confringat, aut, quod non rarum est (propter semper urgentem Veneris stimulum amatoriis artificiis exagitatum) equum commodato aut locato datum concitatiori cursu occidit, utrum ex hoc restitutionem urgentem, per exceptionem amoris venenati, ab actione excludere queat?* Omissis rationibus dubitandi quæ hoc in loco erudito arduæ, ut spero, proponi non possunt, generaliter

raliter negativam amplector. Certatur enim hic non de lucro captando, sed de damno evitando, quod alteri per injuriam est illatum, adeoque semper cordi esse debet philtrato, etiamsi per levissimam culpam, imò per casum fortuitum, quem culpa præcessit, deminutionem patrimonii tertio dederit, reparatio, cessante quamvis activè & passivè, propter nocendi non intentionatũ affectum, injuriarum actione; Obligatur quippe hic non quidem ex re ipsâ aut prævio consensu partium, sed ex facto suo, scilicet injustâ & immeritâ turbatione juris alteri quæsiti, quo de prolixe *vid. Grot. l. 2. cap. 17. ibique notat. Dn. Præsid.*

Thesis LXI. Sequitur (5.) *ad quid teneatur Philtratus, si insectetur Virginem, vel in genere mulierem honestam ? Matth. Berlich. part. 5. Concl. Pract. 69. n. 34.* regulariter ejuscemodi protervum actione injuriarum conveniri posse vult, *arg. §. injuria. & l. item apud. 15. §. aliud est. 22. ff. de Injur. Matth. de afflict. in c. 1. §. injuria punitur. tit. de pac. Juram. firmand. n. 7. vers. item qui turpibus. & seqq.* Idem juris est, si quis Philocaptus de nocte tacitè viam alicujus mulieris honestæ frequentat, vel ante illius domum facit matinatas, similiter si quis appellat virginem & blando sermone ejus pudicitiam attentat, *jung. Angel. in l. item apud Labeon. §. meminisse. ff. de Injur. n. 2.* quem sequitur *Prosp. Farinac. in Pract. Crim. part. 3. qu. 105. insect. 3. n. 92. ibi, amplia sextò. & seqq. Kornmann. de Jur. Virgin. c. 42. cum Franc. de Platea, in Tract. restit. n. 4.* Secus si veste meretricali esset induta, quia tunc eam appellans & insectans non tenetur injuriarum, *arg. l. c. item apud Labeonem. 15. §. si quis Virgines. 15. ff. de Injur.* Sed hæc cuncta, uti vera esse non diffiteor, ita singularem pœnæ mitigationem in nostro philtrato, propter completam doli absentiam & indensissimum fortè à tertio vel ipsamet philtrante per venena excitatum affectum, mereri puto. Juvenis enim, *juxta Nonn. fin. lib. 11. Dionys.* dulci stimulo mollis amore furiosus delectatur æquali puellâ, & interdum gratiosâ in candidos circulos frontis, interdum gravi crinis vagam uvam capilli videt, interdum manum rosei coloris, interdum mitrâ revinctam roseâ circulum mammillâ intuetur. Cervicem contrectans nudam, circa verò formam delectatur, huc & illuc volvens inexplebilem vultum, neque relinquere vult unquam Virginem.

Thesis LXII. *Quid si (6.) Philtratus personæ alicui invitæ oscu-*

lum infigerit Constat aliàs ex Juris Consultorum responsis, eum, qui ex proterviâ Virgini, vel in genere fœminæ honestæ invitæ (extra nimirũ provinciam, ubi hoc moribus est introductum, v. g. in multis Galliæ, Hollandiæ & aliis Germaniæ locis excusatur, qui tangit mulierem amore honesto & jocoso; item sine malâ intentione pectus fœminæ, vel mammillas manu premit, pedem prehendit, imò, ubi mos est, eam amplectitur, osculatur, licet uterque sit juvenis, *jung. Amesi. de Conscient. l. 5. c. 39. quæst. 5. num. 32.* dummodò non sit aspectus vel tactus partium obscœnarum, quibus mulieres dicuntur, *Kornmann. Tr. de Jur. Virgin. cap. 23. pag. 77. cum Martin. Navarr. in Compend. Manual. c. 14. num. 42.*) osculum infigit, conveniri posse actione injuriarum, *vid. arg. l. 1. §. 2. ff. de Injur. Althus. in Dicæolog. lib. 1. cap. 24. num. 11.* prouti Scab. Lips. Ann. 1634. ita pronunciasse docent *Dn. Struv. Ex. 48. thes. 57. Dn. Stranch. Dissert. ad ff. 19. thes. 14.* (quæ actio quoque, quoad dabilitatem suam, extenditur ad eos, cujus affectioni vel potestati persona injuriata subijcitur, confer *l. 1. §. 3. l. 15. §. 24. arg. l. 25. l. 30. ff. §. 2. Inst. de Injur. Farinac. qu. 105. num. 288. & seqq. ibique Dd. plur.*) Imò ejusmodi temerarios, (quod tamen apud nos in Praxi non observatur, ubi arbitrario Judicis officio factum castigandum relinquitur) morte puniri posse putant *Bartol. ad l. 1. ff. de Extraord. Criminib. Bald. in l. si fugitivi. C. de Serv. fugitiv. cum l. si Quis. C. de Episcop. & Cleric.* idque statutum ubi moribus receptum est, custodiendum vult *Farinac. Quæst. Crim. 143. num. 171.* Sic Antonius Venerius, Dux Venetiarum, proprium filium Aloysium carceravit, quod invitæ mulieri osculum præripuisset, ut refert cũ *Boss. Tr. Crim. Jul. Ferrettus, de re Navali, l. 12.* addens, quia cornua hirci posuerat in ostio domus mariti ipsius amasiæ, & juvenis mœstus mœrore & verecundiâ periit maximo cordis dolore, *vid. cum Petr. Martell. in Hist. princip. Ven. Korumann. in lineâ Amoris, pag. 89.* Mulieres per viam osculantes secundum pragmaticam Regni Neapolitani, qualis posita Ann. 1562. juxta *Koruman. l. c. pag. 92.* ultimo supplicio tradi, servatâ formâ Edicti Regis Roberti, refert *Joh. Aloys. Ricc. part. 6. Decis. Collect. 2185. & part. 1. Collect. 47. cum Viv. Decis. 117.* & eam pœnam in quodam de Terrâ Sanzæ adhibitam fuisse, docet *Vincent. de Franchis, Decis. 333. n. 6. add. Cæsar. Ursill. in addit. ad Afflict. 276. n. 2.* quamvis mitius sæpe decisum asserat *Matth. de Afflict. l. c. & Joh. Baptist. Bajard.*

in

in addit. ad Jul. Clar. qu. 83. n. 33. dicat, se non vidisse illam sanctionem, in Practicâ servari. Quemadmodum Venetiis quoque practicari pœnam triremis testatur *Trevis. Decis. 47.* quæ etiam inter Hispanos frequens est aliosque populos, *Prosp. Farinac. quæst. 143. n. 136. Ludovic. Peguer. Decis. Crimin. 7. num. 15. Ægid. Boss. de Extraord. Crimin. num. 30.* Panormi insimul fuit pro osculo condemnatus quis ad remigandum super Regias triremes per annos tres, ut *Mut. Decis. 62. ejusd. Regn.* affirmat. *Caball.* verò *in Resol. 96.* asserit, Florentiæ fuisse quem condemnatum ad exulandum per quinquennium, ut testatur etiam fuisse in Senatu Cataloniæ Ann. 1583. decisum *Peguer. Decis. 59.* similiter *Matth. de Afflict. cit. loc.* cum Ipse & Commissarij in Regno Neapoleos consulti essent â Rege, quæ pœna ab eo, qui in plateâ publicâ extra Neapolim (forte, ut reor, dabis tamen veniam labenti Lector, in Civitate Sarni, *vid. Kornmann. l. c. pag. 91.*) Virginem ætate maturam osculo per vim lacessiverat, de jure sumi posset? responsum esse, ut & per triginta milliaria relegaretur à loco delicti, &, pro modo facultatum, pecuniâ mulctaretur. Limitant interim proposita hactenus notabiliter *Dd.* si (1.) cum puellâ, quam quis osculatus fuerat in viâ publicâ, præcessisset tractatus matrimonii, ubi arbitraria pœna locum habere debet, uti consuluit & Neapoli decisum esse testatur *Gramm. Consil. 48: add. Ricc. part. cit. 6. pag. 120.* Huic adjiciunt (2.) si quis Virginem invitam impudicè ex nimio & repentino amoris motu atq; œstro, sive privatim sive palam, in viâ publicâ tetigerit aut deosculatus fuerit: hunc quippe posteriorem actione injuriarum conveniri non posse, sed potius arbitrio Judicis extraordinariâ pœnâ plectendum esse, statuunt *Petr. Theodoric. Colleg. Criminal. cap. 10. aph. 4. lit. h. n. 39. cum Gramm. Consil. cit. 48. n. 4. & seqq. Ludovic. à Peguer. Decis. 7. n. 18. & quæst. 143. n. 170. Kornmann. l. c. pag. 92. Martin.* Zeiller. Sendschreiben. *cent. 1. Epist. 54. pag. 149. Jung. Polydor. Rip. Tr. de Temp. Nocturn. cap. 22. num. 62. & seqq.*

Thesis LXIII. Meritò igitur Pisistratus, Athenienſium Tyrannus, cum adolescens quispiam amore Virginis ejus filiæ accensus in publico, dum aquatum iret, secundum *Oliver. in Not. ad Val. l. infr. cit.* obviam sibi factam, osculatus esset, hortante uxore, ut ab eo capitale supplicium sumeret, respondit: si eos, qui nos amant, interficiamus, quid his faciemus quibus odio sumus? Minimè digna vox, juxta *Val. Max. lib. 5. cap. 1. exempl. extern. 2.* cui adjiciatur, eam ex Ty-

rannj ore manasse; *add. Tiraquell. Tom. VII. de pœn. temperand. & remittend. cauſ. 4. num. 5. Martin.* Zeiller. *l. c.* Quamvis autem huic Valerio opponi ſoleat, aliud exemplum, quod de P. Mænio profert *l. 6. c. 1. n. 4.* qui in libertum ſuum, aliàs admodum ſibi gratum, animadvertit (mortene, an aliâ gravi pœnâ, ut Interpp. ad hunc locum Valerij M. volunt, non judico) quia eum nubilis jam ætatis filiæ ſuæ oſculum dediſſe cognoverat, cum præſertim, non libidine, ſed errore lapſus videri poſſet: puta, juxta *Oliver. ad. h. l.* quod in teneris annis eam oſculari fortaſſis ſolitus fuiſſet, &, eâ nunc conſvetudine deceptus, ſimplex puellæ oſculum dediſſet. Attamen in hoc poſteriori caſu nulla intenſi aut nimii amoris apud *Valerium* fit mentio, qui oſculum præceſſit; quare etiam hæc culpa liberti major fuit, minusque excuſabilis, quam ſi quis ſtimulis Venereis in totum penè furibundus factus eſſet, & quaſi extra ſe conſtitutus. Sic nihil operatur exemplum *Jacobi Trivultii apud Ægid. Boſs. tit. de Extraord. Crimin. n. 30.* qui, cum Regis Gallorum nomine adminiſtraret Ducatum Mediolanenſem, Gallum quendam, qui oſculatus erat per vim Suſannam Trivultiam in viâ publicâ, ſecuri percuſſit. Nondum enim probatum eſt (tametſi alii hoc factum excuſent ex eo, quod Trivultii cognatione propinquam hoc impudico facto aggreſſus fuerit, adeoque perſonam in ſingulari eminentiâ & dignitate poſitam læſerit) hoc attentatum proveniſſe ex ſubitaneo & immoderato amore, quin potius ex temeritate inexcuſabili atque petulanti laſciviâ tali, quæ omninò gravitatem pœnæ ordinariæ ſecum traxit. Quapropter non ſine causâ Practici noſtrarum terrarum ſingulariter prædicta limitant, nimirum ut pœnæ mitigatio locum non habeat in eo, qui, Veneris furore inordinato ceſſante, ſub prætextu amoris deliberatò delinquit, *Theodoric. l. c. num. 39. cum Menoch. Conſ. 328. per tot. Cothmann. 1. Conſ. 15. n. 14. ſeqq. Peck. in c. ſcienti, 27. ampl. 3. de R. I. in 6.* Judicabis proinde, Lector Benivole, quidnam in caſu amoris mei venenati decidendum ſit. Quod ſi enim perſona Philtrans (ſive mas, ſive fœmina) perſonam Philtratam eò pellexerit, ut ex hoc inordinato affectu (*a*) ſe deoſculetur, injuriâ ſuâ ſponte cadit, quippe cum id, quod factum eſt, ſibimetipſi conciliaverit; quod ſi verò ex malitiâ ſuâ aliquem *vel in genere* ad promiſcuum amoris furorem traxerit; *vel in ſpecie* ad amandum inordinatè tertium pervene-

nenatam aut superstitiosam & Diabolicam Magiam adegerit, utique hic Philtratus excusabitur à dolo, secundum ea, quæ hactenus fusissimè de generali furoris amore proposita fuerunt. Nec fortè limitatione mox in *thes. præced. num. 2. in fin.* adjectâ res indiget: videtur siquidem Philtratus in perpetuo esse motu, tametsi ille, propter carentiam objecti, non semper consvetos suos effectus edere queat. Simile pronuncio super quæstione *de Vasallo, vel ab ipsâ uxore Domini philtrato, vel etiam à tertio ad Venerem nimiam per poculum instigato; an feudo privandus sit, si postea uxorem Domini in quasi furore & sensuum graviori motu osculatus fuerit?* Licet enim, ob osculum turpe uxori Domini illatum, Vasallum privari posse beneficio feudali communiter Feudistæ asserant, *arg. 2. Feud. 24. §. 2. vers. porrò. & 1. Feud. 5. in pr.* (nisi fortè juxta Canonistas fuerit Vasallus Clericus, eò quod talis, osculatus mulierem, non libidinem, sed benedictionem intendere præsumatur; quam non immeritò limitationem mirabilem vocat *Hahn. Dissert. Feud. 8. thes. 10. lit. b.*) attamen, propter doli carentiam, & suo modo etiam culpæ imputativæ defectum, in Vasallo præsente ad hanc feudi privationem Dominum pervenire non posse, credo. Alia hujus materiæ vide sis *supr. thes. præcedent. & th. 66.*

THESIS LXIV. Aliud jam (7.) tibi thema proponam: *Aliquis per tertium, philtro mediante, singulariter ad amorem concitatus, amasiam suam ambit; hujus tamen affectionem, cum sibi postmodum blandimentis ac muneribus conciliare nequiret, publicè pasquillis eam prosecutus est; quæritur, an in ipsum pœnâ libello famoso dignâ* (de quâ *Carpz. p. 2. Pr. Crim. qu. 98. n. 5. seqq.* multus est) *animadverti debeat?* Fuisse absolutum quendam Baptistam Gazanum Mens. Febr. 1554. qui libellum famosum publicaverat contra quandam puellam, cujus amore captus erat, docet *Clar. lib. cit. 5. pag. 296.* tanquam quod ex nimiâ amoris vehementiâ non esset mentis suæ compos. Sanè si furorem aut aliud mentis delirium philtrans philtrato causatus fuerit, *Claro* non contradico: secus si aliud saltem desiderium inordinatum & vehemens, appetitum modò Philtrati torquens semper & anxietans, quis alteri conciliaverit; quoniam tunc pœnæ Pasquillantium, propter voluntatem adhuc salvam & ad necessariò pasquillandum minimè per venena adigibilem, neutiquam de Jure

stricto

stricto se subtrahet, quo etiam inclinat *Godofred. ad Nov. 74. cap. 4.* licet hanc rem, propter textus Juris carentiam penes Dd. indecisam relinquat *Richter. Decis. 1. n. 184. p. 33.* Quocirca non sine ratione in puncto absolutionis citati Gazani subdit *l. c. Clarus:* Benè verum est, quod habebat remissionem à parte offensâ; aliàs fortè hæc excusatio illi non profuisset. Ex æquitate tamen, propter similitudinem concitati amoris iræque, tanquam affectuum maximè subitaneorum & non nisi per temporis intervalla rursus sedandorum, supplicium Pasquillantes ex solito manens parumper à Judicibus esse temperandum statuo. Quid? quod in hoc præjudicare nolim Principi, qui Jure Majestatis, aut vi superioritatis territorialis (intuitu horum vehementissimè commotorum affectuum, quippe in Philtrante, imprimis virtutibus undiquaque non benè stipato, dictaminis rectæ rationis regimen & habenas sæpius resipuentium & detrectantium, licet furorem propriè sic dictum non statim insimul, secum inducant) animadversionem in Pasquillum ordinariam, pro temporis circumstantiâ & jam citati affectus motu, in philtrato ex beneplacito & salvâ conscientiâ in arbitrariam mitissimam commutare potis est. Idem, quod de libello famoso, de quavis aliâ injuriâ, sive verbis, sive literis, sive reipsâ inferatur, puta *si quis mulierem frequenter affectetur sub odiosâ potius, per amoris tamen desperationem contractâ, intentione*; eaque propter etiam de nocte ante illius ædes faciat matinatas, de quibus paulo alio sub conceptu supra *thes. 54. & 64.* actum, *add. Matth. de Afflict. ad 2. Feud. 23.* (vel ut ipse putat, *3. Feud. 31.*) *§. injuria, 1, n. 7. pag. 633.* Nam in prædictis omnibus ratione Philtrati abesse potest sufficiens ad delinquendum, & per consequens etiam ad puniendum, prælectio.

Thesis LXV. Quomodo verò puniendus (8.) *qui propter poculum amoris venenatum stuprum vel adulterium commisit?* Meminêre hujus *Dn.* **Frommann** *de fascinat. Magic. l. 3. part. 6. cap. 12. §. 13. pag. 826.* & *Bartol.* **Anhorn.** *Magiolog. pag. 962.* qui posterior scribit, sibi à fide dignis hominibus in Germaniâ relatum esse, viduam quandam lascivam (cujus nomini & loco parcit) aliquid ex corpore Viri cujusdam nobilis & strenui accepisse, cui res magicas addiderit, eaque pulvillo consuto inclusa habuisse. Quoties verò pulvillus axillis subditus incaluit, toties vir pius ac strenuus magicâ vi adactus

actus arcem & conjugem ſuam deſerere, ad Thaidem laſcivam properare, & per aliquot dies ei cohabitare fuit coactus. Domum reverſus conjugem ſuam (cum quâ vitam alias tranquillam egit) humiliter, ut ſibi ignoſceret, deprecatus non ſine lachrymis, faſcino magico ſe conſtrictum teneri faſſus eſt, &, ut ab eo liberaretur, animitus ipſe vovit. Pro arbitrio Judicis in ipſum animadvertendum, ſepoſitâ pœnæ aſperitate, contendunt Dd. Excuſatur enim à delicto, qui ad maleficium perpetrandum præciſè impellitur, & parcendum amoroſo, qui furore libidinis & amoris aliquid prohibitum fecit: nihil quippe vehementius eſt ardore, quam intra debitos limites carcerare, eſt potius philoſophicum, quam muliebre aut juvenile opus. *conf. Carpz. Pr. Crim. p. 2. Qu. 61. n. 58. & ſeq. cum Bald. in l. impuberum. Col. 5. n. 21. ant. med. C. de impub. & al. ſubſtit. Nicol. Boër. Deciſ. 23. n. 75. & ſeqq. Andr. Teraquell. de Pœn. temperand. & remittend. cauſ. 4. n. 2. in f. Gaſtel. in Specul. Jur. cap. 60. n. 2.* Quanquam verò allegati Dd. prædicta ſingulariter limitent, ut procedant in eo ſolummodò, qui blanditiis fœminæ alicujus captus & libidine incitatus adulterium committit ex ſubito & improviſo libidinis impetu, cui ex parte indulgendum putant perinde, atque ei, qui, ſubitâ irâ vel dolore commotus, aliquod delictum perpetrat; ſecus verò ſeſe res habeat, quando quis, impetu & furore ceſſante, ex causâ amoris præmeditatum committit adulterium vel ſtuprum. Sunt incontinentiæ, inquit *Richt. part. 1. Dec. 1. n. 179. pag. 32.* binæ ſpecies; una quidem prorumpens & improviſa & confeſtim proveniens, velut cum ſpecioſam viderimus mulierem & confeſtim afficimur, & ab affectu erumpit impulſus ad aliquid perpetrandum, quod fortaſsè non expediat. Altera verò velut quædam imbecillitas, quæ cum ratione inſurgit revertente. *Prior* igitur non admodum ſub reprehenſionem cadere videbitur, quandoquidem etiam virtutis ſtudioſis poteſt evenire calidis & ingenioſis: *Secunda* autem frigidis & Melancholicis. Attamen ſicut hoc in blandimentis, nudè talibus, aliisque ſubitaneis commotionibus, quæ citò fiunt, citoque iterum pereunt, lubenter largior; ita hoc in meo caſu, cum philtrati cauſa, quatenus philtratus, permanet magis durabilis, imò ferè, niſi medicamentis ſuccurratur, perpetua æſtimetur: non puto, judicem prudentem primariò ad motum ſubitaneum, aut (cum idem ſemper violentum principium, a-

moris æstrum concitans, in venenato deliteſcat & appetitum ſenſitivum urgeat, adeoque facultates animæ rationalis, puta intellectum & voluntatem, turbet & inquietet) per intervallum contingentem; ſed potius ad qualitatem & quantitatem corruptionis in naturâ venenati nec non malitiam & culpam venenantis reflectere, atque his demum probè cognitis, pœnæ ordinariæ alterationem ac mitigationem ſuſcipere debere.

THESIS LXVI. Et ab hoc etiam, quoad inordinatum amoris impetum, venenis ſaltem verbalibus, perſuaſionibus ſcilicet aut aſſectationibus & blandimentis abſque reali philtratione comparatum, non alienus videtur *Carpz. l.c. num. 62. in fin.* qui, propter *adulterium cum uxore alterius meretricio more vivente perpetratum*, ad quod tamen committendum mulier per ſuas proxenetas & amoris recommendatores (vulgò Kuplerinen) *vid. thes. 15. & 54.*) adulterum ſolutum excitaverat, minime ſolennem fuſtigationem, de quâ *part. 2. qu. 57. num. 24. & ſeqq.* ſed ſolum relegationem perpetuam à Scab. Lipſ. M. Jan. 1612. dictatam meminit in *verb.* So viel aber Inquiſitin N. anlanget / weil die gefangene N. ſelber bekant und geſtanden / daß ſie am erſten mit den flüchtigen N. einem Ehemanne / zugehalten / Unzucht und Ehebruch getrieben / und alſo dieſer der erſte nicht geweſen / &c. Inquiſit auch zu ſeinen Schutz ferner angeführet / daß Sie ihme / als einen Junggeſellen / hierzu Urſach und Anleitung gegeben / und durch ihre Kupler / ſo ſie gehalten / zu wege gebracht / daß er zu ihr kommen müſſen / immaſſen denn die Gefangene deſſen ſelber allerdings nicht in Abrede geweſen / auch dieſes geſtanden / daß ſie / Inquiſitin, einſten N. zu ſich ins Bad beſchieden: So mag derſelbe wegen berührter ſeiner Verbrechung / geſtalten Sachen nach / am Leben nicht geſtrafft / noch mit einer Leibes Straffe beleget werden / Er wird aber gleichwohl des Landes ewig billich verwieſen / V. R. W. Sic, ubi alius quidam ſolutus à quadam conjugatâ non-meretricio more vivente blanditiis ſæpe impetitus, & tandem, ſive vini, ſive cereviſiæ potu (non tamen mentis exilium ſecum ferente, *Carpz. part. 3. qu. 146. n. 32. & ſeqq.*) inebriatus & convictus eandem carnaliter cognoverat, propter concurrentiam doloſe excitatæ libidinis & ebrietatis, quæ priùs vitium nimium in modum elevare ac quaſi ſublimare potuit, præcedit Scabini ſupplicium mortis ordinarium (de quo

idem

idem part. 2. qu. 54. n. 2. & seqq. tametsi per conjugis innocentis remissionem, & promissionem imposterum cohabitandi conjugi adulteranti, hoc in perpetuam relegationem immutetur. *Id. qu. 55. n. 17. & seqq.* quâ tamen mitigatione non gaudet coadulterans solutus in foro Sax. *Id. l. c. num. 120.* secus extra illud. *Id. n. 122. & seqq.*) ne quidem in publicam fustigationem convertere, sed solummodò castigationem cum Virgis in carcere, annexâ perpetua relegatione, delinquenti adjudicare fategerunt M. Jun. 1600. apud *Eundem, supr. cit. qu. 61. n. 64. in verb.* Obwohl N. des mit N. Eheweibe begangenen Ehebruchs geständig / dieweil Er aber dennoch fürwendet / daß sie ihme als einen jungen Bluth / so zur selbigen Zeit 19. Jahr alt gewesen / eine geraume Zeit nachgegangen / auch vergangenen Winter in der Stuben / da er gearbeitet / das Schutzfell vom Leibe gerissen / und ungeachtet ihres / so viel ihm müglichen gewesen / sich entschlagen / ihme doch entlichen in trunckener Weise dahingebracht / daß er mit ihr das Werck der Fleischlichen Unzucht verübet / welches dann die Gefangene auch also bekant; So bleibet er auch / nach Gelegenheit / dißfalls mit der ordentlichen Todes Straffe billig verschonet; Er wird aber gleichwohl derowegen in Gefängniß mit Ruthen ziemlichen gezüchtiget und des Landes ewig verwiesen / V. R. W. Arbitor igitur ex traditis sequentem inferri posse Conclusionem: Si propter blandimenta & affectationes simplices, quæ adulterium committenti inopinato objiciuntur, & penes ipsum libidinosam amoris vehementiam subitò excitant, adulterii, etiam qualificati, pœna mitigari potest; sequitur quod hoc multò magis fieri queat, si venena subindè stimulantia, sympathiam illicitam continuò concitantia, furoremque aut quodvis aliud mentis exilium, cum inordinato semper Philtrati desiderio conjunctum secum trahentia adhibeantur. *Prima* verum patet, ex modo traditis *Carpzovii*. Ergo. Testantur etiam pluribus de simili, in puncto mitigationis Tiberii facto *Hohndorff. in Promptuar. Exempl. ad 6. præcept. pag. 537. Dn. Freud. Qu. Consc. 37. de Magic. n. 3. pag. 63. cum Dannhaw. p. 4. lact. Catech. p. 413. Stolterfoth.* in seinen Anmerckungen bey den 5. Cap. des Büchleins *Senec. de Provid. p. 543. ex Joseph. 18. Antiquit. c. 7.* (quamvis in meâ Editione Francofurt. de anno 1590. sit C. 4. quod etiam referunt *Joh. Vier. de Lamiis, c. 24. l. 3. pag. 341. Godelmann. de Lam-*

&c, l. 2. c. 5. n. 29. & seqq. pag. 57. Petr. Gregor. Tholosan. Syntagm. Jur. univers. l. 36. c. 11. pag. 715. n. 11. Licet hoc *Ægesipp. l. 2. Rer. Judaic. c. 4. Tiraquell. de pœn. temperand. & remittend. Tom. 7. Caus. 4. n. 4. p. 17.* adscribant Josephi *c. 6.* imò magis imprudenter *Bacchov. ad Treutl. vol. 2. Disp. 32. thes. 7. lit. b. pag. 1285.* assignet ejusdem Josephi *cap. 17.*) qui Decium Mundum, Paulinæ Romanæ, Saturnini uxori, sub specie Anubidis in Isidis templo stuprum inferentem, cooperantibus ad hoc Isidis sacerdotibus, ab Idâ Mundi libertâ pecuniis corruptis, exilio tantum damnavit; dignum eum majori pœnâ non judicans, quod amoris vehementiâ formæque superatus gratiâ deliquisset: tametsi de cætero Sacerdotes cum Idâ, horum malorum face & & tubâ, in cruces adegerit, templum Isidis everterit, statuamque ipsius Deæ in Tiberim jactari jusserit. Fuit autem hoc factum Mundi Romani, equitum Ducis, ex nudo immoderati animi impetu productum; non dubium igitur, idem multo magis pronunciaturum fuisse Imperatorem Tiberium, si hosce motus à tertio quodam in Juvene hoc sanguineo per venena magis incitatos cognovisset. Idem insuper arbitrium pœnale de stupro (tam *cum*, quam *sine* violentiâ commisso) raptu (etiamsi cum intentione Sodomiticâ aliquando conjuncto, v. g. si venenatus Vir Virum, vel Mulier Mulierem, mutæ libidinis exercendæ causâ rapuerint; sed tamen de his *vid. thes. 68.*) quid? de incestu quoque inter ascendentes & collaterales prudenti judici relinquo; quod, pro re natâ & valetudine Philtrati, item culpâ aut dolo in reliquo penes ipsum probabiliter latentibus, mitigando variare poterit: quicquid in contrarium velit *Bockel. de Philtris in præfat.* asserens, suo tempore Helmstadii omnes Facultates respondisse, raptum cujusdam nobilis fœminæ excusari non posse propterea, quod raptor se amore philtris conciliato captum dixerit: philtris enim amorem non conciliari. Sed ad hoc responsum supr. *thes. 1. & seqq.*

THESIS LXVII. Occasione Stupri propter philtrum à fœminâ volenter admissi, de quo *hh. præcedd.* actum, quæro jam (9.) *an mulier, quæ ex nimio amore, uti in genere, ita in specie per philtrum causato, amanti soli copiam sui corporis fecit, seq. stuprari passa est, vel in dolo constituta scortatrix, Ordinationem Consistorialem transgressa, vel meretrix infamis & turpis persona nominari, adeoque censuræ Politicæ*

aut Pœnitentiæ ecclesiasticæ solennî subjici debeat? Negant *prius* rectissimè *Carocc. Decis. 124. Ricc. part. 6. Decis. 2117. Carpz. Jurisprud. Forens. part. 2. Const. 6. Def. 14. n. 6. Richt. Decis. 1. n. 182.* ex quibus etiam ego legitimè ad *posterius* concludo; ita quidem, ut magnam arbitrer faciendam esse differentiam *inter dolosè*, vel, per quandam imputationem, *culposè* (forsitan ex tali amoris impetu, cui per dictatum rectæ rationis facillimè resisti potuit *Girland. l. c. q. 17. n. 4.*) *scortantem*, item corpus suum, propter libidinem & impudicum quæstum, prostituentem; atque, ex singulari futuri matrimonii spe, & *concitato intensissimo amore virtuali sive artificiali*, quid humani perpetrantem. Licet igitur huic posteriori nonnunquam aliqualem increpationem, aut, pro re natâ, correctionem leviorem, tam Consistorialem quàm Politicam, adhiberi posse concedam; exindè tamen minimè sequitur, eam quoque, ut protervam legum divinarum ac humanarum contemtricem, ad pœnitentiam Ecclesiasticam aut aliam satisfactionem Politicam ordinariam adigendam esse. Quod si enim (mittendo forum Politicum) observantiam nostram (salvô eô, quod in primitivâ Ecclesiâ, ubi sæpius delictum Neophytarum in foro soli puniendum, ex charitate christianâ Magistratui Politico Gentili non revelabatur, sed solummodò scandalum ab Episcopis, qui potestate seculari tunc nondum gaudebant, exclusione à cœtu fidelium & seriâ contritione atque pœnitentiâ expiabatur, receptum erat: similiter quod adhuc inter Clericos Pontificios, quando delictum Magistratui Civili usque dum non innotuit, loco satisfactionis ecclesiasticæ injungitur) legitimè cordi habeamus, videmus fundamentum pœnitentiæ ecclesiasticæ imprimis poni in religiosâ expiatione delictorum contra Divinam Majestatem ejusque sacramenta temerariè commissorum, puta scandalosæ blasphemiæ, hæresis, incantationis, perjurii, profanationis, baptismi, cœnæ. &c. item, ex mente Pontificiorum, sacramenti matrimonii & totius puncti nuptialis, quibus immediatè disciplina ecclesiastica conturbatur & petulanter ac proterviter contemnitur; hisce postmodum, per consequentiam quandam, etiam annumeraruht reliqua commissa publica & capitalia politica, v. g. furta, latrocinia, usuras, &c. Quoniam autem delictum ejuscemodi taxativum propriè & formaliter non committitur ab eâ, quæ per plures blanditias ad amorem ex-

tremè demulcetur, & simul (namque simpliciter & absolutè sumtum non largior) cum forte paupercula sit, sub spe certissimi matrimonii consequendi, adeoque liberalioris imposterum alimentationis, à proco ad corporis sui concessionem adigitur, aut per philtra totum hominem alterantia commovetur, *vid. thes. 29.* Ideoque pœnitentia sæpe dicta eidem, ex præelectione non peccanti, à Consistoriis nostratium ex merito & in eodem rigore imponi nequit. Quæ à me de *Philtratâ* dicta fuerunt, eadem quoque *ad Philtratum* restringe, semper tamen observatis terminis habilibus. Cœterum, ut porrò agam, citatus *Richt. n. 182. pag. 33.* non inconcinnè putat, *testamentum*, de quo *supr. thes. 32.* ob ejusmodi stupratam institutam à testatoris fratre inofficiosum dici haud posse. Corporis enim, inquit ille, quæstum hæc persona nec quærit, nec exercet, *l. 4. §. 2. ff. de his qui not. infam. l. 43. §. 6. ff. de R. N.* multorum libidini non paret, *c. vidua. 16. Dist. 34.* nec publicè venalis est ejus turpitudo, *c. meretrices. 11. 32. qu. 4.* His adde, quod ea, quæ coactè corrumpitur, meretrix non dicitur nec infamis est, *l. 20. C. de adult.* Atqui hæc vi & potentiâ amoris superata compressa est: E. nec meretrix dicenda. Nam quis modus adsit amori? quærit & quæritur Coridon ille *Virgilianus Eccl. 2.* & quis legem det amantibus? qvum vehemens nimis urit amor, adeò ut ei parere necesse sit. Amore capti ejus servi sunt, *Propert. l. 2. Eleg. de amoris servitus.* Libertas quoniam jam nulli restat amanti, nullus liber erit, si quis amare volet. At, qui superioris sui mandato obedivit, culpâ carere dicitur, *l. 169. de R. J. l. 11. in f. ff. de his qui not. infam. &c.* Hocusque Richt. Quo fundamento etiam nitebatur Terentianus ille adolescens, qui semet Eunuchum mentitus, cum paululum quiddam fecerat, deprecabatur: contumeliæ non se fecisse causâ, sed amoris. Confestim ab Herâ Thaide veniam simul & suffragium accipit. Et pol (dicente) propterea magis nunc ignosco. Non adeò inhumano ingenio sum, Chærea, neque tam imperita, ut, quid amor valeat, nesciam.

Thesis LXIIX. Delictis carnis etiam accenseo peccata contra naturam & reliquas mollitiei species: hinc dubium est (10.) *an idem ille amoris venenati impetus excuset in crimine Sodomiæ* (tàm activè quàm passivè) *commisso?* Negat hoc, quoad amorem in genere

Dn. Zitmann. *Dissert. Inaugural. de amore, c. 8. thes. 12.* ex eo, quod hoc crimen omnium sit gravissimum, fœdissimum, & jure divino pariter ac humano detestabilissimum: cum reliquæ libidinum species naturales sint & à naturæ instinctu proficiscantur, *add. l. 31. C. ad L. Jul. de adult.* Mihi mitius paulò pronunciandum videtur propterea, quod in delictis non tàm facti perpetrati atrocitas in *abstracto* & simpliciter, quàm *relativè* consideretur, intuitu scilicet semper habito ad peccantem, in quo, cum furor potius, quam animus deliberatus & sibi constans, aut actus *naturæ* vel *contra naturam* dijudicare valens, adfuisse; è contrario verò actum Sodomiticum magis ex intentatâ intrinsecorum tormentorum quiete, gravissimæ ustionis libidinosæ refrigeratione, & fortè subjecti amabilis undique quæsitâ carentiâ provenisse, præsupponatur, pœna etiam Sodomiæ ordinaria locum non habebit. Secus est, si solus appetitus sensitivus ejusmodi philtrati ad nimiam libidinem actuumque Venereorum concupiscentiam impulsus, non verò operatio animæ rationalis *simul* nimium quantum perturbata animadvertatur: tunc enim lubentissimè concedo, ejusmodi philtratum, propter defectum subjecti naturaliter amabilis, quod tamen in hoc nostro casu necessariò requiritur, si Sodomiam commiserit, prætensione vehementissimi amoris sese à pœnâ regulari eximere vix posse. Idque multò magis, si sodomita patiens ad scelus hocce mutum, & quod sciri non proficit, *arg. l. c. 31. membra ad copulam carnalem inconsveta* agenti communicaverit: qvum ne minimâ quidem ratione prætenso amori nimio (nisi mentis, ut dictum, exilium simul intulerit, sicque factum à furibundo provenerit) hîc locus ad exculpandum facinus sufficiens excogitari queat. Quæ de *Sodomiâ marium*, inter se & cum brutis coëuntium, castissimis protuli auribus; eadem quoque paucis dicta volo de *Sodomiâ mulierum*, vel furibundo amoris venenati œstro bachantium, vel saltim libidinosis suis affectibus plus justo indulgentium, adeoque tàm inter se, quàm cum bestiis rem habentium: dari autem ejusmodi personas pluribus prosecutus est *Dn. Præses, Dissert. de Impotent. Conjugal. cap. 2. thes. 2. per tot.* Sic graviori circumspectione & explicatione omnium circumstantiarum magis accuratâ Judex indiget, *si excessus hic amoris Sodomitici cum Crimine raptus*, de quo *thes. 66. fuerit combinatus*, jung. *Anton*

ton. Matth. de Crimin. tit. 4. cap. 2. n. 3. De mastupratione, cum per eam philtrati amor inordinatus magis debilitetur, regulariter judicium lenius ferendum putarem: ignoscendum enim ex parte ei, & condonanda est suo modo pœna dolo malo ordinariè destinata, qui tribulationem carnalium, cum motu intrinseci spiritus rectæque rationis vehementissimè luctantium inconsvetus pariter ac impatiens, quovis modo levamen acerbissimæ suæ passionis conquirere cogitat.

Thesis LXIX. Quale autem decisum dare velis (ii) si, ut supra *thes. 36.* monitum, *à tertio Philtratus, qui tamen subjecto amato, ratione cujus philtratus est, potiri nequit, pro obtinendo amore, ad sortilegia & artes Diabolicas confugit?* Abrogationem pœnæ Civilis *cit. thes.* nominatam, & loco ejusdem fustigationem inducendam esse, vult *Clar. l. 5. §. hæresis. 8. num. 25. in fin. pag. 39.* qui similiter de cessatione hoc in loco confiscationis bonorum, regulariter alioquin dictandâ, atteſtatur cum *Nunnio de Los Corregidores, pag. 259. n. 2.* quamvis Idem *Clar. l. c. cum Berb. in Viator. Jur. Rubr. de Sortileg. circa fin.* quædam quoque de aliâ pœnâ arbitrariâ tradat, nimirum ductos ejusmodi sortilegos in publicum cum mitrâ depictâ in capite & deinde ejectos. Affirmat quidem *Clarus l. c. 5. sent. §. fin. n. 10. qu. 60. pag. 295.* in facti contingentiâ fuisse absolutum quendam in Senatu Mediolanensi, qui fecerat sortilegia propter amorem cujusdam mulieris, quæ sententia primâ fronte mihi omninò immaturè mitis, imò satis iniqua, videbatur; Ast, *Claro* diligentius revoluto, inveni *in lib. cit. §. hæresis. n. 25. pag. 38.* ipsi longè aliam, respectu prædictæ absolutionis, fuisse mentem. Quæstionem enim ibidem instituit talem: an invocatio Dæmonum hæresin sapiat manifestam? Ad quam cum *Gemin. Cons. 54. & Afflict. part. 1. Const. Neapol. Rubr. 1. n. 17.* respondet ex hypothesi Pontificiorum (quam Theologis nostratium relinquo) per distinctionem: *quod* si invocentur Dæmones, ut quis sciat futura, sapiat hæresin manifestam; quia tribuit Diabolo id, quod est proprium Dei scilicet ventura præscire. *Quod* si verò invocentur ad alium finem, puta ad tentandam pudicitiam mulieris, vel hujusmodi, hoc non sapiat hæresin; quia advocatur Diabolus ad illud, quod ei maximè convenit, cum sit tentator animarum, *jung. Faber, in Dec. l. c. de Sortileg. Francisc. Ponzinib. de Lamiis, num. 82. & seqq. pag. 355. b.*

Elucet

Elucet igitur ex his, *Clarũ* hîc locutum fuisse de absolutione, à crimine hæreseos, non verò, ut quidam eum cũ *Berlichio* explicant, à crimine sortilegii, multò minus de absolutione totali & à crimine quovis: inque hoc, præter *Barbat. Consil. 55. lib. 1.* quem refutat, consentientes habet *Oldrad. Cons. 210. in fin. vers. tertia Consideratio.* (ubi aliquem quodammodò excusat, tanquam furiosum, qui, ut quâdam muliere potiretur, quam deperditè adamabat, magicas imagines ad eam rem, ut ipse putabat, accommodatas confecerat, Dæmonesque invocarat, quod gravissimum est delictum, ut *not. in c. 2. de Sortileg.* citatque testimonium *Aristotelis*, qui *7. Ethic. lib. c. 2.* scribit, hos Venereorum appetitus nonnullos in furorem atque insaniam adigere) quem etiam citavit *Tiraquell. de pœn. temperand. aut remittend. Tom. 7. caus. 4. num. 3. pag. 17.* similiter *Alberic. de Rosat. in Rubric. de Hæretic. num. 13.* qui refert, quod ita fuerit determinatum in Curiâ Romanâ in causâ cujusdam Johannis de Partiniaco, quod ejusmodi incantationes, quæ fiunt ex causâ amoris, non sint hæreticæ, *add. Farinac. in Collect. Crimin. Decis. 90.* De Curiâ ArchiEpiscopali Neapolitanâ idem extraordinarium supplicium allegat *Ricc. Decis. Collect. 378. part. 4.* Nisi fortè philtratus sortilegus per philtrum in tantum furorem & mentis alienationem inciderit, ut planè extra se crederetur positus, cum sortilegia susciperet, quo casu absolutionem quoque à sortilegio totalem *Claro* ejusque *Interpretibus* atque *Tiraquello* concedere possum. Facit de cætero ad hujus thesis illustrationem, quod habet *Ambros. de Vignate, Juris utriusq; Doctor miles q; strenuus, num. 176. & seqq. de hæresi, pag. 14. qu. 18. An dare pocula amatoria sapiat hæresin?* Videtur, respondet ille, quod non; quia quod crimen est aliud per se, & aliâ pœnâ punitur, quam pœnâ hæresis, qui dat poculum amatorium, *ff. de pœnis. l. si quis aliquid. §. abortionis. & C. de Malefic. l. 4. §. sed & id.* Item, quia quamvis talis graviter delinquere videatur, non tamen alicubi reperitur, quod dicatur hæreticus. Imò plus dicit *Alberic. Rubr. C. de hæretic.* quod invocans Dæmonia ad amorem mulierum provocandum, non dicitur hæreticus, sed magis superstitiosus; & ad hoc allegat sanctum *Augustinum, in 10. libr. de Civitate Dei*, & sanctum *Thomam de Aquino, in 2. 2. q. 96. in tit. de superstitionibus observantiarum*; & hoc est verum, quando simpliciter invocatur Dæmon ad finem tentandi

mulierem de pudicitia. Unde subdit ibi ipse *Albericus*, dicens, quod Dæmonia invocare, & eis nefarias preces emittere, & funesta sacrificia eis offerre, & responsa eorum exposcere, videtur sapere hæresin manifestam, juxta *not. in c. accusatus. §. sane supra. eod. ubi per Archidiaconum, Joannem Andr. & Joann. Monachum.* Sed circa hoc sciendum est, dicit ipse *Albericus*, quod aliquando Dæmones invocantur, & responsa eorum petuntur ad sciendum futura: & tunc hoc sapit hæresin manifestam: quia creaturæ, scilicet Dæmoni, attribuuntur, quæ sunt propria creatoris, scilict Dei, *Esaiæ 41. cap. annuntiate, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dii estis vos.* Aut invocantur ad tentandam mulieris pudicitiam, & tunc non sapit hæresin manifestam; quia invocantur ad id, quod est eorum proprium, scilicet tentare; nam & Salvator Dæmonem vocat tentatorem in Evangelio: & hoc casu, licet hoc sit peccatum mortale, tamen non sapit hæresin manifestam, si invocatio procedit non per modum adorationis. Secus si invocarentur Dæmones per modum adorationis, ut notatur per *Archidiaconum in d. cap. accusatus, & ibi Gloss.* Hucusque *de Vignate.* Ad quem sequentia commentatur *Francisc. Pegna Theolog. & J. U. D. pag. 14. lit. c.* propinare, inquiens, quis potest pocula amatoria non simpliciter, sed adhibita Dæmonis invocatione: & hoc etiam casu multa capita distinguere oportet, tum *circa res*, quæ misceri possunt in his poculis, tum *circa verba* sive modum, quibus Dæmon invocatur, tum denique *circa personas* invocantes; hæc singula persequamur. Primum ergo dico, quod si in poculis amatoriis misceantur sacramenta, ut hostia consecrata, vel sangvis Domini nostri Jesu Christi, aut res sacramentales, aut aliter sacræ, ut reliquiæ sanctorum, Agnus Dei, aut alia hujusmodi, quæ recenset *Paulus Grilland. Tract. de Sortileg. quæst. 10.* hæc, inquam, si misceantur poculis amatoriis, operantem reddunt de hæresi suspectum, interrogandusque est ab inquisitoribus diligenter, quid de his sentiat: nam si crederet, liberum arbitrium ab his rebus cogi posse, tunc non modò suspectus, sed etiam vere hæreticus censendus est, nisi resipiscat, ac desistat pertinaciter taliter sentire, ita *Alphonsus Castrus, lib. 1. de just. hæretic. punit. cap. 14. circa fin.* Si verò nihil hujusmodi in amatoriis poculis misceatur, & Dæmones invocentur ad hunc finem, ut flectant ani-

animum alicujus ad libidinem, nec interveniant verba *deprecativa*, ſed potius *imperativa*, (de quibus ſtatim agemus) tunc talis invocatio & poculi amatorii propinatio non ſapit hæreſin manifeſtam; quia tunc Dæmon invocatur ad id, quod ſibi convenit, nec naturam ſuam excedit, videlicet ad tentandum; ita *Johann. Andr. in addit. ad ſpecul. tit. de Sortileg. in Rubric. Idem in cap. accuſatus. §. ſanè. de hæretic. & ibidem Geminianus, Francus & alii. & Carrerius Tract. de hæretic. num. 23. ubi alios citat in eandem ſententiam.* Jam verba quoque ſpectanda, quibus fit hæc invocatio, an videlicet ſint *imperativa*, ut jubeo, præcipio, impero, conſtringo, & ſimilia: an verò ſint *deprecativa*, ut precor, oro, obſecro, obteſtor, & alia hujusmodi; nam ſi invocatio fiat per verba *imperativa*, nulla tunc hæreſis intervenit manifeſta, ut optimè ex *Oldrado* docet *Eymericus in Directorio, part. 2. qu. 43.* ſin autem fiat per verba *deprecativa*, tunc hæreſin manifeſtam ſaperet talis invocatio; ita, præter *Eymericum* locô proximè citatô, tenent *Autor Repertorii inquiſitorum, verbo, Dæmon. §. ſi enim Dæmones; & Locatus in opere judiciali, verbo Apoſtaſia. num. 7. vers. ſi vero Dæmones.* Hæc doctrina videtur tuta, quam tradit etiam hîc *Ambroſius*, paulo tamen obſcurius, propter rudem ſtylum, quô utitur. &c. *Paulò poſt idem Pegna num. 178. pag. 15.* Sed circa eandem, pergit, quæſtionem alia eſt conſideratio habenda, ſecundum ipſum *Alberic. ubi ſupra:* quia dato quod ſimilia fiant, detrahitur multum delicto, propter ſimplicitatem facientis: ut puta ſi miles erat armiger, talia faciens ad tentandum pudicitiam mulieris, allegat *l. fin. C. de jur. delib.* Alia etiam vertitur conſideratio in hâc materiâ, quia in hac materiâ illius, qui dedit pocula amatoria, videndum eſt, an captus & infatuatus eſſet amore mulieris: nam & per hoc detrahitur crimini multum: quaſi ille eſſet furioſus, non hæreticus: quia nihil amoris furore vehementius, ut in *Auth. quib. mod. nat. effic. legit. §. illud quoque; & Philoſoph. in 7. Ethic.* dicit, quod iræ & concupiſcentia Veneris homines transmutant, & inſanias faciunt; per quas conſiderationes dicit ipſe *Albericus* determinatum fuiſſe à Curiâ Romanâ, quod talia potius eſſent adſcribenda furori, quam hæreſi, *arg. in l. divus. ff. de Offic. Præſid. l. infans. ff. ad Leg. Cornel. de Sicar.* & ita dicit fuiſſe determinatum in Curiâ Romanâ in perſonam cujusdam Johannis de Pertinaco militis, quem inquiſitores ſuſpicabantur hæreticum. *Rurſus idem Pegna ad Vi-*

gnat. qu. 19. Quomodo hæretici deprehendantur? num. 182. lit. a. Ultimum, subjicit, quod paulò antea diximus, considerandum in poculis amatoriis cum invocatione Dæmonum propinatis, est persona ipsa, quæ talia exercet sortilegia. *Ambrosius* hoc loco ex sententiâ Alberici duobus modis dicit minui posse delictum ejus, qui dedit poculum amatorium; *primo* ratione ignorantiæ, imperitiæ seu rusticitatis: *secundo* ratione affectionis sive perturbationis, quæ multum solet liberam animi ratiocinationem impedire, ac talis quidē est amoris effectus, ut mox dicemus. Est sanè hic locus in hac causâ prudentiæ plenus, & judicibus fidei diligenter observandus. Ac primum ignorantia in omnibus ferè delictis multum potest ad minuendam delicti malitiam, de quo articulo plenissimè *Andr. Tiraquell. Tract. de pœnis temperand. aut remittend. causs. 11.* in crimine hæresis ignorantia quoque *aut* excusat, *aut* minuit; quod quando & qualiter contingat, per sex regulas latissimè explicavi *libr. 1. Comment. in Director. Inquisit. Comment. 20.* ibi videas, adde *Palac. in alleg. de hæres, §. 4. & Simancam, Cathol. Instit. tit. 17. in Enchirid. violat. Relig. tit. 43. & 49.* hæc quia breviter absolvi non possunt, libenter missa facio, ne brevis commentariolī mensuram violare videar. *Denique Pegna l. c. lit. b.* propter affectum (concludit) amoris nimium excusari aliquem posse, ne hæreticus esse credatur, rectè scribit hoc loco *Ambrosius*; quasi is, qui nimio amoris ardore percitus hæretica dixerit, seu fecerit, furiosus sit putandus potius, quam malè credens, aut in fide erraris; nam nihil, inquit, est furore amoris vehementius. *Hoc usq; Pegna.* Reliqua, quæ profert, judicari possunt ex traditis in fronte hujus theseos, cum quibus ferè, variatis saltem quibusdam Autoribus, concidunt.

Thesis LXX. Ex hoc porrò Doctores argumentantur, *quod si quis (12.) Venenati amoris furore perturbatus, offensione, aut Zelotypia*, aut desperatione, vel nimio desiderio, *aliqua dixerit vel fecerit hæreticalia, quandoq; poterit excusari, ne hæreticus esse credatur*; ut determinatum in Rotâ Romanâ refert *Novarius, in suâ utili Praxi Electionis & Variationis Fori, Sect. 1. qu. 25. n. 5.* in quâ quæstione concludit, ex hoc, quod excœcatus amore dicatur miserabilis persona, ad effectum habendi fori electionem. Pariter pacto (13.) veniam quandam, secundum eosdem meretur, *qui amore philtrato insaniens amasiæ*

siæ suæ imaginem adorat, aut aliqua emittit verba, quæ idololatriam sonant, add. Ricc. part. 6. Decis. 217. pag. 31. & Farinac. Pr. Crim. part. 3. Qu. 98. Cauſ. 13. Sic (14.) *quæcunq; venenatæ amatrices, propter intenſiſſimum amorem, juvenem in caprо ſibi advehi curant, cui in itinere aliquid damni, per metum & horrorem iterum per violentam & Diabolicam vecturam, incuſſum eſt, excuſantur à pœnâ gladii ordinariâ:* quemadmodum etiam ceſſare putarem fuſtigationem, eandemque in perpetuam aut temporalem relegationem, vel, pro re natâ, incarcerationē ad tempus commutandam eſſe, ſi hoc pacto violento adductus nihil planè damni realis perſenſerit, *confer. theſ. 53.* Idem eſt, ſi maſculus philtratus fœminam hâc ope Diabolicâ ad ſui amorem pertraxerit, quod, licet dabile ſit, me tamen, ut ſupra *theſ. 16. in fin.* dixi, unquam legiſſe non memini. Non abſimile etiam judicium in puncto pœnali fero (15.) *ſi philtratus in avectionem per Diabolica media philtrantis conſenſerit.* Quæ tamen ordinariæ pœnæ (avectionem ſcil. libidinoſam procurantium, de quâ in *fin. theſ. 53.*) iterum cedit, ſi quis, non præſuppoſito philtro amoriſque furore, ex ſolâ laſciviâ, & plus quam ferino coitus appetitu, in ejusmodi caprum, ſive, ut ſic potius loquar, *diabolicum equum* petulanter compromittit, aut ſeſe avecturæ hujus ſocium ſpectatoremque præbet. Ne Tibi, L. B. res impoſſibilis videatur, hiſtoriam ex *Freud. Tract.* **von Zauberey und Zauberern.** *Qu. Conſc. 55. n. 13. pag. 108. ex Mengering. in Informat. Conſcient. pag. 292. & ſeqq.* quia factum hoc ſingulariter exprimit, ac de applicatione pœnali optimam cogitandi anſam dat, ipſiſſimis verbis hic ponere malui: Es gedencket (inquit Ille) einer Hiſtorie D. Mengering/ ſo ihme zu Bitterfeld referiret worden/ daß auf eines E. Rahts daſelbſt Vorwerge auff dem nahe liegenden Dorff ein Schirmeiſter und Encke zuſammen gedienet/ und weil ſich der Encke alle Nacht aus dem Bette verlohren/ ſetzt ihn der Schirmeiſter zur Rede/ der ſpricht/ er ſey an einem guten Orthe/ was es ihn an gehe/ er finde ſich zu rechter Zeit wieder und thue das ſeine. Den Schirmeiſter flicht der Fürwitz/ und begehret er ſolte ihn doch einmahl mit nehmen. Ja/ ſpricht der ander/ und darauff præſentiren ſich folgende Nacht zween Böcke/ auff den einen ſetzt ſich der Encke/ auf den andern der Schirmeiſter/ doch vor warnet Jener dieſen/ er ſoll unter Wegens kein Wort reden. Sie kommen mit einander an die See bey Seeburg in der Graff-

schafft Mannsfeld / und da springt der erste Bock und Vorreuter mit dem Encken in einem Hui über die See / der Schirmeister denckt / was wil das werden? Sein Bock der etwas kleiner als jener gewesen / stellet sich / als ob er sich nicht getrauete hinüber zu kommen / meckert und gehet zurücke; endlich holet er aus / und setzet in einen Sprung auch hinüber. Da hebt der Schirmeister an und spricht: **Je nun! war das nicht ein Sprung?** Angesichts wirfft ihn der Bock in eine Hecke / darin er sich ziemlich zersticht / und mit Müh und Arbeit sich loß wircket / und des Tages erwartet: da rafft er sich auff und wandert drauff wieder gen Bitterfeld / berichtet und zeigets an wie es ihm gangen / der Encke aber saget sich aus. &c. Meritò igitur hoc flagitium severè puniendum venit, Deum quippe extremè tentans eumque Diabolo, cujus vias tales personæ indubitatò calcant, postponens. Assurgat Judex officio suo fungens, tollatur impius; administretur justitia & pereat Mundus.

THESIS LXXI. Gravissimum dubium suboritur (16.) *Utrum Philtratus occidens aliquem intervenientem, fortè Corrivalem, pœnâ ordinariâ sit puniendus?* Negat *Robert. Scharrock. de offic. secund. Jus Nat. cap. 14. pag. 546.* scilicet, quod violento animi motu, non deliberatâ voluntate, item passione, cui resisti non potuit, non electione, occiderit. Quamvis casus ejusmodi rariores contingant, juxta *Scharrock.* in quibus passio deliberationem non sinat; Consentiunt *Carpz. Pr. Crim. part. 2. qu. 61. n. 60. Jul. Clar. in §. fin. lib. 5. sentent. quæst. 60. num. 10. Menoch. l. 2. Cas. 328. per tot.* quem sequitur *Jerem. Setser. in Tr. de Jurament. l. 1. c. 8. n. 3. Gastel. in specul. Jur. cap. 60. n. 2.* ubi excusatur, inquit, qui amoris œstro percitus subitò & improviso amoris impetu delinquit. Amor etenim judicium subvertit & homines cæcos reddit, *Boër. Decis. 23. n. 75. & 60. Joseph. Quercetan. Diæt. Polyhist. sect. 1. c. 5.* unde versus *Accurs. ad Nov. 74. cap. 4. in Gloss. pag. 354.* Non frater fratri cum furor ille venit, Igneus ille furor nescit habere modum: οὐδὲν εἶναι μανίας ἐρωτικὴς σφοδρότερον, τὸ μαίνεσθαι, δὲ ἀρ ἦν ἔρως βρώτοις, *Eurip. in Antigon.* ἔρωτα διπλασιασθέτα μανίαν γίγνεσθαι, *Theophrast.* Plato quoque amorem vocat furorem in Phædro, & *Plutarchus* apud *Stobæum Serm. 185. add. Godofred. in Not. ad cit. Nov. 74. verb. amoris. pag. 159.* Et *Accurs. in Gloss. ad Nov. 6. c. 5. pag. 59. in fronte. ibiq; Godofred. in Not. Tiraquell.*

de

de pœn. temperand. Cauſ. 4. qui totum hoc thema ſingulari elegantiâ, & Rhetorum quaſi more deſcripſit, quare non pigebit ejus ipſiſſima adſcribere verba: Amor, (dicit Ille, imprimis, ut ego ſuppono, continuus atque per venena cauſatus) eſt quædam furoris ſpecies, teſte ipſo ſapientiæ antiſtite *Platone*, qui in Phædro ſcribit, quatuor eſſe illius ſpecies, inter quas amorem reponit, qui eſt à Venere: idcircò Poëtæ paſſim amorem furorem vocant; & amantes furibundos, furentes, furioſos. *Catullus in Nuptiis Pelei & Thetidis:* Heu miſerè exagitans in miti corde furores. *Virgil. l. 4.* ardet amans Dido, traxitque per oſſa furorem. *Et alibi eodem libro;* quid vota furentem, quid delubra juvant? *Et paulo poſt,* uritur infelix Dido, totaque vagatur urbe furens. *Ovid. in Epiſt. Helenæ ad Paridem;* qua licet & poſſum, luctor celare furorem. *Et 10. Metamorph.* de Myrrhâ loquens; Exiliit gremio furibunda. Eſt quoque textus apud nos, hunc affectum *furorem* vocans, in *c. cum in juventute. de præſumt.* Sicque nihil hoc furore vehementius, quem retinere eſt perfectæ Philoſophiæ, ut eſt etiam textus, qui & hanc affectionem furorem vocat, in *Nov. 74. cap. 4. auth. quib. mod. nat. effic. legit. §. illud.* cui omninò aſſentiens *Socrat. l. 3. Platonis de Republ.* Voluptate, inquit, venereâ, nulla vehementior, nullave furioſior. Et apud ipſum *Platonem in Sympoſio*, Agatho nullam ait voluptatem eſſe amore potentiorem. Et Latinæ Eloquentiæ parens *Cicero l. 4. Tuſcul. quæſt.* Maximè, ait, admonendus eſt, quatenus ſit furor amoris: omnibus enim ex animi perturbationibus, eſt profectò nulla vehementior. Et *Bald.* omnium doctrinarum peritus *in l. precibus. Col. 6. vers quid ergo ſi petiit non idoneos. C. de Impub. & aliis ſubſtit.* ſcribit, Philoſophicum eſſe, non muliebre, hujusmodi affectum intra debitos limites carcerare, quem refert & ſequitur *Franc. Curt. Senior, Conſil. 67. ſuper Controverſia. Col. 3. verſic. tranſeo ad ſecundum.* &c. Hæc *Tiraquell. add. Zeiller Epiſt. 8. Cent. 1. pag. 19. cum Anton. Perez. tom. 2. Epiſt. 70. & Wilhelm. de Boodt. T. 3. Symbol. varior. pag. 136. Joann. Eichorn. Orat. Altorfi in actu promotionis habita Ann. 1623.* Amantes quoque neſcire quid agant, inſanire & amentes eſſe dicuntur, juxta *Petr. Theodoric. cap. 10. aph. 4. lit. h. n. 38. pag. 1327.* ut meritò Plato judicaverit, teſte *Philip. Camerar. Horar. Succeſſ. Cent. 1. c. 10. pag. 39.* animum ejus, qui amo-

amore tenetur, in suo corpore mori, in alieno autem vivere, licet sint, qui hanc sententiam *Catonis* esse putant, quoniam ipse eandem crebris sermonibus usurpabat. Vel, ut *Plautus* amoris insaniam describit: ubi sum, ibi non sum, ubi nō sum, ibi est animus. Unde etiam amor puer pingitur, quia est irrationabilis & stultus: Cupido volatilis dicitur, & pingitur alatus, *vid. Apulej. de asin. aur.* quoniam, cupidine calentibus, nihil levius, nihil mutabilius invenitur: Sagittam in manu tenere fingitur, quoniam cor vulnerat faciemque inflammat, *add. Boër. Decis. 23. n. 75. & 76. Sebast. Medic. Tract. de Casib. fortuit. p. 2. qu. 5. n. 38.* Exemplum de quâdam puellâ vi amoris mortuâ ex *Cornax. libr. 1. cap. 3. Consultat. Medic.* recenset *Schenck. Observat. Medic. lib. 1. pag. 157. verb. Mania.* Hæc enim, propter retrogradas nuptias, in magnum animi mœrorem incidit, quem propter continuas lachrymas, cum omnem consolationem respueret, consecutus est dolor capitis ingens, hunc epilesia, epilepsiam mors: *jung. Zoes. comment. ad ff. Tit. ad L. Corn. de Sicar. num. 63. Roderic. à Castro, l. 4. c. 2. in Medic. Politic. pag. 220. add. supr. thes. 4.* At è contrario *Hug. Grot. l. 2. c. 20. §. 31.* affectuum delicta, quæ ex mali imminentis cogitatione & iracundiâ recente, ac nec dum sedato dolore tali tantoque, ut rationem audiri vix sinant, oriuntur, minus odiosa asseverat, quàm quæ ex voluptatis nascuntur desiderio, cui etiam cum *Ludov. Ex. 18. thes. 5. lit d. & Anton. Matth. de Crimin. c. 2. prolegom. in fin.* adstipulantur *Gail. 2. Obs. 110. n. 20. & Petr. Pappus* **von Trazberg** *in Annotat. ad Corp. Jur. Milit. art. 3. pag. m. 42. cum Theodor. Petro, Concl. Crim. 119. lit. b. Harprecht. §. 5. J. de public. Judic.* qui citant adhuc alios Dd. in utramque partem, tandemq; in hanc mecum ire videntur sententiam, scilicet, quod tales homicidæ magis ex invidiâ, rancore & vindictâ, aliisque ex causis factum ejusmodi perpetrare soleant, adeoque ordinariam pœnam hic locum habere *add. thes. 54.* Quicquid hujus rei sit, mihi placet mitior sententia, quæ, ut iterum atque sæpius monui (nisi à Principe idem expressè de culpâ statutum reperiatur) semper in occidente requirit dolum causam dantem actui vitioso, nec non hîc in ignoranter Philtrato & per inordinarios affectus motus irascibilis, motum concupiscibilem exagitantes, stimulato, cessat. Instat *Godofred. ad*

Nov.

Nov. 74. c. 4. si nimius amor excusat in occidendo à pœnâ ordinariâ & eam modò elevat, utique etiam odium capitalesque inimicitiæ pœnam elevabunt excusabuntque; Posterius est absurdum; Ergo & prius. Respondeo negando consequentiam, amor enim, qui hic prætenditur, non occidit subjectum amandum, sed tertium, propter subjectum, quod amamus; secus se res habet in odio, ubi immediatè actio ab eo, qui odit, transit ad occisionem ejus, quem quis odio habet, nec requirit tertium. Quod si verò ita informare velimus propositionem: Sicuti nimius amor excusat amantem ab injuriâ ejusque pœnâ ordinariâ respectu personæ amatæ; ita nimium odium, quatenus subitaneam iram & inopinatam commotionem affectuum appetitus irascibilis secum involvit, excusabit amantem ab homicidii pœnâ ordinariâ, respectu tertii Corrivalis sui, qui ejusdem amorem turbare aut impedire satagit. Hoc modo non video absurdum in propositione præsenti, quod tamen *Godofred.* docere conatur. Concedo interim, ut sæpius hactenus feci, lubentissimè, pœnam arbitrariam non parum rursus exasperari posse, si philtratus non prætendat amprem dicitum, sed fortè cum stupro, adulterio, incestu, &c. conjunctum: majori quippe tutelâ suorum affectuum, adeoque cautione magis circumspectâ, tunc philtrato opus est.

Thesis LXXII. Sufficiat confideraſſe pro virili Philtratum Corrivali acerbas cantantem Nænias: tentabo nunc (17.) *quid juris competat*, discutere, *Philtrato, violentas sibi ipsi manus inferenti, imprimis quoad honestam sepulturam*? Casus dabilitatem ab alto repetere nolo; loquatur pro me, qui multa in unum exempla congessit, *Henric. Kornman. de Lin. amoris, pag. 61.* Sic autem Ille, hoc amoris, inquit, genere Phyllis, Lycurgi Thracum regis filia, infecta legitur, quæ, cum Demophoontem, Thesei filium, à Trojanâ expeditione redeuntem & à Rege hospitio exceptum, deperiret, eo furore ac insaniâ correpta est, quia illô frui nequiret, ut amoris impatientiâ, post multas ægritudines, laqueô vitam finierit. Sic Iphis, liberali facie puer, cum Anaxaretem puellam incredibili amore prosequeretur, interiit. Sic Hæmon, Thebanus, cum Antigones Oedipi & Jocastæ filiæ amore contabescèret, ad ejus tumulum sibi mortem conscivit. Eodem mortis genere puella Sappho, ex Lesbo insulâ,

vitam cum morte commutavit, Phaonis, liberalis formæ adolescentis, amore percita. Quam imitata Biblis, Mileti filia, ex Cyane, Cauni fratris amore fascinata, laqueo se suspendit, ut in libris de arte amandi *Ovidius* refert: Biblida quid referam? vetitô quæ fratris amore arsit, & est laqueo fortiter ulta nefas. Pyrami quoque & Thysbes necem eisdem fascini viribus nonnulli adscribunt. Sic etiam Galeacius Mantuanus, cui, cum quædam puella, quam deperibat, per jocum imperabat, ut se in fluvium dejiceret, amatoriô fascinô rationis usu orbatus, eidem obtemperavit, seque vitâ privavit. Sic Timagoras, ut *Celius* est autor, præcipitem se dedit, Miletis adolescentis Athenienſis jussu, cujus fascinantibus radiis infectus erat; nec secus Gidica, Cominii Laurentini uxor, vitæ finem dedit, dum Comminii privigni, fascinô contaminata esset; in quod mortis genus, parum abfuit, quin Antiochus, Seleuci Regis filius, incideret, novercæ Stratonices infando amore correptus; sed pius pater filii vitæ amans (*nescio an satis benè*) charissimam sibi conjugem eidem filio cedere non dubitavit: quod in amorem incidisset, fortunæ acceptum referens, quod usque ad mortem is dissimularet, ipsius pudori imputans, &c. Hactenus *Kornman.* Parili ratione Dido sibi manus consscivit, quod ex *Virgilio* notavit *Roderic. à Castro, Med. Polit. l. 4. c. 2. pag. 219.* Testis etiam est *Pontanus* apud *Schenk. Observat. Medic. lib. 1. pag. 157.* ex *Crinit. de Honest. Disciplin. lib. 3. cap. 9.* Virginem Necram in Salentinis paucis ante annis sese in puteum dejecisse. Ex quibus etiam constare arbitror, ejusmodi exempla adhuc inter nostrates evenire posse, contra quos, præclusione sepulturæ honestæ, priusquam de aliâ eorum impietate probè quid doceatur, non procedendum erit; licet de ceremoniis aliàs inter nostrates usitatis quid remitti posse confitear, per ea, quæ tradit *Carpz. Jpr. Consist. l. 2. Def. 378. n. 4. & seqq.* Philtrati enim, aut ex melancholiâ, aut furore aliâve animi impotentiâ, præcipuè mortem sibi concitare solent, qui affectus omnes mitigationem promerentur, *Carpz. l. c. Def. 377.*

THESIS LXXIII. *Est quidam* (18.) *philtratus à tertio, qui, cum amasiam suam aliter, quam pecuniâ, expugnare nequit, & tamen nervô rerum gerendarum caret, monetam falsam cudit, tingit, aut alterius bonam monetam radit; quæritur quomodo in hoc animadvertendum?*

Rigoro-

Rigoroſum Principis ſupremi jus ad ullam mortis pœnam neutiquam hic obtinebit ; quemadmodum nec (19.) *in eo, qui, à tertio philtratus, rurſus perſonæ amandæ, reſpectu cujus philtratus eſt, philtrum exhibet ;* cum neuter ex propoſitô agat dolosô, & , juxta *theſ. 56.* liberô : quare extra ordinem quævis arbitraria pœna, pro circumſtantiarum varietate, & ratione culpæ dolo vel proximæ vel non proximæ, hoc loco imponenda erit. Ultimum hic addo dubium, imprimis Romano-Catholicos concernens, *qualiter ſcilicet puniendus philtratus Sacerdos, qui in miſſarum celebrationibus, aut in genere in publicis quibusvis devotis ſupplicationibus, preces nefarias & turpes ad amorem, imprimis culpabilem, obtinendum admiſcet ?* ſanè ſi, ex proterviâ propriâ aut ad inſtinctum alterius, Clericus ſcienter agens, ad obtinendum amorem, imprimis turpem, hæc (uti *thes. 22.*) ſusceperit, non ſolùm à parte philtrandâ actione injuriarum, aliave, de quâ in *thes. 34.* conveniri ; ſed & per magiſtratum competentem officio & beneficio gradu & ordine privari poteſt, *add. thes. 36.* Quoniam verò hîc itidem animus amore coacto perturbatus, adeoque minimè liber, præſupponitur, videtur remotio ab officio, degradatio, incarceratio, & certo modo relegatio, vel temporalis vel perpetua, in ſummâ, animadverſio extraordinaria ſufficiens. Ridiculo quodam, ſed tamen in ſimili, caſu tractatum ſuum concludit *Girland. qu. 17. pag. 397. num. 2.* quem ſemel Romæ in facto habuit : Quidam Vir, inquit ille, Hispanus Clericus in ſacris beneficiatus & decretorum doctor, annorum 45. vel circa, captus erat amore quarundam monialium juvenum, quæ erant plurimum formâ venuſtæ, quas iſte ſæpius ad monaſterium viſitabat, & blandis verbis atque muneribus multoties blandiebatur eis, adeò quod, propter illarum pulchritudinem & venerabilem venuſtatem, ille Hispanus paulatim cœpit ardeſcere, & frequentius illarum monaſterii limina viſitare, & in tam magnam devenit inſaniam & cœcitatem, quod die noctéque tàm in ſomnis, quàm in vigiliâ, nil aliud, niſi illarum amplexus & concubitus meditabatur corde, verbo, geſtis aut ſignis. Et in tam gravi dementiâ adductus fuit, quod aſſerebat expreſſè, ex quo ipſe erat Clericus, eſſe ſponſum Eccleſiæ & moniales illas ſimiliter eſſe ſponſas Eccleſiæ; nam quia dicebantur eſſe ſponſæ Chriſti, qui repræſentantur per Eccleſiam, concludebat, quod ſponſi & ſponſæ ſpirituales, hoc eſt,

sacerdotes & moniales, poterant ad invicem carnaliter copulari sine peccato, & quod ita Deus præordinaverat, putans summum bonum in solo coitu consistere, &, quod turpius est, ipse sæpius hoc prædicabat illis juvenculis, adeò quod ipsæ cœperunt illum evitare: unde ipse Clericus postea devenit in majorem infamiam, quia quotidiè, cum esset literatus, componebat aliquas orationes & preces nefarias, quibus orabat Deum, & alios sanctos, ut præstarent sibi robur maximum in renibus, in lumbis verò calorem talem, quô posset facillimè in magnâ abundantiâ luxuriari & coitum carnis sæpissimè complere, & quia illarum monialium quædam vocabatur Cecilia, altera Ursula, alia verò Magdalena & Clara, in ipsis suis orationibus, quas quotidie de novo formabat, summis precibus deprecabatur virgines illas sanctas & beatas post Dei invocationem, ut ex dono gratiæ specialis in mentibus & cordibus ipsarum Monialium hanc meditationem & firmam opinionem infunderent, ita quod ipsæ Moniales firmiter putarent & crederent, nullum aliud magis meritorium Opus DEO fieri posse, quam coire & carnaliter commiscери, crescere & multiplicare, nullâ adhibitâ personarum distinctione, sit sacra vel profana, sit conjugata vel soluta, sit consangvinea vel extranea, & similia, & quod ex coitu hujusmodi putarent votum castitatis nullatenus infringi posse, sed magis hoc Deo placere, quam holocaustum sive sacrificium, & ultra hoc, quod ardentius illarum corda incalescerent ad amandum & vehementer diligendum virũ ipsum sacerdotem, qui erat sponsus Ecclesiæ, & ejus vota carnalia firmiter maximâ cum humilitate adimplere, ejusque mandatis, ut veri patris, parere asserens, quod illo modo consumãndum erat matrimonium spirituale inter religiosos Viros & mulieres, quemadmodum matrimonium carnale consumãtur per veram utriusque conjugum carnalem copulam, ut in *C. continebatur. X. de desponſ. impub. & in Cæna nos. de ſponſal.* Quas quidem schedulas ipse Clericus portabat quotidiè ad quoddam monasterium, ubi morabantur quidam boni & purissimi sacerdotes mendicantes, qui potius simplicitate & bonitate, quam doctrinâ religionem suam profitebantur, & die qualibet ad ecclesiam illius Monasterii accedebat ad Missam, & singulis diebus unam ex ipsis schedulis dabat sacerdoti, & dabat etiam *julium unum* pro eleemosinâ, ad hoc, ut in celebratione missæ, scilicet in *memento*,

preces

preces illas Deo & Sanctis & Virginibus prædictis offerret, cum devotione orando Deum & sanctas Virgines prædictas, ut pia vota ipsius orantis exaudirent; & hoc modo decepit unum vel duos ex simplicioribus & rudioribus illorum Monachorum, & interim ipse quoque intererat Missæ, & totidem easdemque preces ipse cum devotione recitabat; & prosequendo ulterius in hac suâ superstitione quotidiè novas orationes componens devenit tandem ad manus cujusdam Monachi, qui erat cæteris magis doctus, atque expertus, qui, sumptâ schedulâ duplicatâ unà cum eleemosinâ, accessit ad altare & perlegens quæ intus erant verba, valdè obstupuit, & ne Missæ sacrificium perturbaret, dimisit schedulam illam in angulo altaris, & prosequutus fuit missam, demum eâ completâ, ipse Monachus multum reprehendit ipsum Clericum Hispanum, dicens, quod verba illa erant valdè turpia, & superstitiosa, nec merebantur per aliquem sacerdotem in tanto Missæ mysterio memorari: at ille subrisit, deridens Monachi illius simplicitatem & ignorantiam, cœpitque secum velle disputare, quia argutus erat, quasdam interpretationes divinæ scripturæ longè erroneas attribuens, adeò quod non transibat absque scrupulo & labe hæreticæ pravitatis, ut alias diximus supra *tit. 2. qu. 1. & 2.* Videns itaque Monachus ille, ipsum Clericum tàm gravi errore apprehensum, suntis pluribus ex illis suis schedulis, quas adinvenit, de præmissis omnibus consulit quamprimum Reverendum Dn. Vicarium Papæ, cujus tunc ego Auditor aderam, mihique mandavit, ut rem hanc cognoscerem, & ipsum Clericum pro modo culpæ corriperem, qui statim incarceratus & examinatus, omnia ad ungvem confessus est, imò à principio instabat pertinax in illâ suâ erroneâ opinione, volens defendere falsas quasdam & novas interpretationes, quas divinæ scripturæ attribuerat, qui quamprimum vidit me præparari ad declarandum illum hæreticum, & pœnis hæreticorum subjiciendum, nisi errorem ipsum revocaret, incontinenti omnia revocavit, & errorem suum solenniter abjuravit, adeò quod pro hæresis suscipione meruit veniam & revocavit omnes illas suas interpretationes, quas dederat divinæ scripturæ, & reliquas omnes insanias suas, quas supra narravimus, nihilominus, ut cautius in futurum procederet, de mandato S. D. N. Papæ fuit relegatus ab urbe ad certum tempus. Hæc *Girland.* Ex quo expedita

cluſio formari poterit: Si Clerico in genere nimiô amore, cui tamen ab initio reſiſtere poterat, captô, pœna ordinaria propter maleficium remittitur, multò magis illa omittenda erit in caſu, ubi per accidens, & ſæpè inopinatò, per venena obrutus venerea quis facinus quoddam perpetravit. Atqui prius eſt verum. Ergò. Ad quod forum quæſtio de philtro per ſortilegium cauſato ſpectet, vide apud *Jul. Clar. 5. ſentent. §. hæreſis. num. 25. pag. 38.* ubi illud utrique foro, tàm eccleſiaſtico, quàm ſeculari, ſub certâ diſtinctione aſſignat.

Thesis LXXIV. Quod ſi unquam in totâ hâc Diſſertatione gravis labor mihi viſus fuerit, profectò levi brachio ſuperari potuit, intuitu harum ponderoſiſſimarum quæſtionum: videlicet *quis philtrum probare, & quomodo in foro Eccleſiaſtico ac ſeculari probationem ad defenſionem ſui validè introducere debeat?* Quod prius thema concernit, novi, quæ produxerunt à me diſſentientes Doctores *thes. 1. 1. 2. & 3. & ſeqq.* à quibus non alienus (utut tandem mecum ibidem concludat) *Zœſius Comment. ad ff. ad L. Cornel. de Sicar. num. 62. pag. 1040.* de mitigationis, inquiens, ſententiâ, in puncto homicidii à philtrato in Corrivalem commiſi, rectè quis addubitet, cum non rarò ab amantibus non tàm furoris impetu, quam deſtinatâ voluntate, occidantur Corrivales; atque ita & ordinariæ pœnæ L. Corneliæ locus eſſe debeat. In puncto matrimoniali, inquit *Cypr. de Sponſal. §. 64. cap. 13. pag. 547.* excuſandum exiſtimaverim, qui (*ex vehementiſſimo, furibundoque quaſi, amore motus, & poſtmodum*) pœnitentiâ ductus à contractu (*Sponſalitio*) recedere cupit. Interim tamen, niſi evendentiſſima ſubſint & concurrant indicia & argumenta, quibus palàm fiat, eum, qui nuptias promiſit, amore victum & inſanum promiſiſſe, audiendum non putaverim. Nam alioqui, hoc prætextu, omnia ſponſalia in dubium revocari & infirmari poſſent, quod quis ſeſe amore captum promiſiſſe affirmaret, qui, ubi deferbuiſſet, ſeſe extricare cuperet. Eſto itaque Concluſio: *cum philtratio facti ſit, neminem philtratum præſumi, donec ipſemet, tanquam affirmans, venenationem probet. vid. Maſcard. de Probat. Vol. 1. Concl. 89. num. 2. pag. 131. cum Franc. Hercul. in Tract. de Caut. de non offendend. cap. 17. num. 5.* Fit autem hæc probatio vel *plenè* vel *minus plenè* per indicia; cui poſteriori poſtmodum prudentia judicis

ex

ex officio juramentum suppletorium, aut respectivè purgatorium (de quibus *vid. Carpz. Proceſſ. tit. 12. artic. 2. n. 60. & ſeqq. item artic. 3. num. 40. & ſeqq.*) adjicere poterit. Indicia iſta, ex circumſtantiis colligenda, aut conveniunt amoris furori in *genere*, vel in *ſpecie* ei, qui hactenus à me venenatus dictus eſt: *priorum* mentionem quandam fecit *Cypr. l. c.* v. g. ſi quis aliàs, ab amore evidenter, aut ad minimum probabiliter, abhorrens, derepente (1.) fidem dedit, parentibus & cognatis inconſultis. (2.) ſi idem ille, optimus prognatus parentibus, viliſſimæ puellæ, vel ſuſpectæ pudicitiæ, & tamen formoſæ, conjugium promiſit, nullâ habitâ generis vel natalium ratione. (3.) ſi, nullis teſtibus adhibitis, clam id fecit, inque occulto & obſcuro loco, remotoque quaſi ruris angulo. (4.) ſi nocte ſponſalia contraxit, quod tempus fraudi maximè accommodatum & matrimoniis contrahendis minimè idoneum eſt. Illum quippe amore irretitum, dici debere veriſimiliter ſvadet illud Poetæ: Nox & amor vinumque nihil moderabile ſuadent. (5.) ſi celeriter & de improviſo, ſtatim ut puellam vidit, eam ſibi deſpondit, ſine ullâ deliberatione aut conſultatione. (6.) ſi conſtet vini plenum fuiſſe, ita tamen, ut prorſus ratione non careret, qui promiſit & inter pocula promiſſio facta ſit. *Poſteriorum*, ſive in ſpecie talium, inducendi modus talis eſſet, v. g. ſi lenonum & lenarum technis & artibus iuductus id fecit, eosque loco parentum & cognatorum in conſilium adhibuit atque pronubos eſſe voluit: nam norunt lenæ, talium nuptiarum conciliatrices, quod à Jureconſultis traditum eſt, verba præſentis temporis reddunt matrimonium ratum. Quin & verba futuri temporis, ſi ſuccedat conjunctio corporum, vertuntur in verba præſentis temporis, fitque matrimonium non modò ratum, verum etiam conſummatum, eoque hoc ipſum procuratur à lenis, ut coitus accedat, vix prolatis etiam verbis, ut rectè *Eraſmus* notavit. Sed ut ne, Lector, ex cerebro meo indicia me fingere voluiſſe cogitare poſſis, en tibi proponam nobilem ex *Paul. Zach. Qu. Med. Legal. l. 2. tit. 1. qu. 9. num. 4. pag. 136.* ex quo quam plurima, thema præſens concernentia, haurire valebis. Deſiderabit, *dicit ille*, JCtus, ut ſigna quædam afferantur hîc, ex quibus amor probari poſſit, & ego, ut juſtiſſimo huic deſiderio ſatisfaciam, libentiſſimè ea adducam, quæ à Medicis adducuntur, omiſſis interim nonnullis præſumtionibus, quæ huic negotio inſervire pro

JCtis

JCtis possent, ut mulieris pulchritudo, ex quâ præsumitur amor, *Rota in noviss. Decis. 338. num. 4. part. 1.* frequentatio viarum non consuetarum, in quibus pulchra fœmina commoretur, consvetudo cum muliere, *c. tertio loco. de Præsumptionib. ubi Gloss. & Dd. Bartol. in l. capite quinto. de Adult. Paris. Cons. 10. num. 33. lib. 2.* dicebat *Lucret. libr. 4. in fin.* consvetudo concinnat amorem. Indumenta elegantiora, ungventorum & odorum usus ante minimè consvetus, maximè in ætate minus convenienti, ut in senectute, quando hæc omninò sunt omittenda: unde amico seni alter ille senex *Plautinus* id objicit, ut amoris argumentum in *Cas. Act. 2. Scen. 3.* Senectâ ætate ungventis perlitus ignave incedis? Hæc enim omnia, simul juncta, facere possunt pro JCtis aliquam præsumtionem. Signa verò à Medicis adducta, quorum nonnulla enarrantur ab *Heliod. l. 4. Hist. Æthiop. transacto principio*, ex quibus ingeniosissimum Medicum Acestinum Charicleæ amorem deprehendisse narrat, quemadmodum etiam ex similibus signis *libr. 3.* Theagenis amor detegitur, sunt oculi cavi, ac ficei sine lachrymis, & conniventes, licet *Halyabb. Theor. libr. 9. c. 7. in fin.* tradat (quod notabile est) amorem inducere maciem in universo corpore, præterquam in oculis: At unde hoc? an quia plurimi spiritus ad oculos confluunt, nimirum quia inspicere, amore captis amabilissimum, ut ex *Arist.* dixi? Præter hæc, suspiria adsunt luctuosa, facies cogitanti similis, ac mœstitiâ plena, corporis extenuatio, vigiliæ, inappetentia, in fletum aut risum proclivitas, pro adversâ vel propitiâ amatæ mulieris voluntate, pulsus facilè alterabilis, præsertim ad quamcunque amatæ apparitionem, vel auditionem, vel ejus nominis pronunciationem; Quâ observatione Erasistratus Antiochi amorem versus Stratonicam comprehendit; unde *Franc. Petrarcha, Triumpho Amor. cap. 2.* de eo sic; E se non era la discreta aita, Vel fisico gentil, che ben s' accorse, &c. Præterea sermones vel nulli, vel circa rem amatam: ac tandem facillimè, vel proverbii testimonio, Amor ex actibus præsertim conijcitur, quod & insinuabit *Franc. Petr. in Lyricis, part. 1. Son. 22.* his carminibus: Altro schermo non trovo, che mi scampi dal manifesto accorger delle genti, perche negli atti d' allegrezza spenti di fuor si legge, com' io dentro avampi. Et *Torq. Tass. Cant. 1. suâ magni Poëm. st. 49.* de Tancredo loquens; Eben nel volto suo la gente accorta Legger potria, questi arde, e fuor di spene, Cosi vien sospiroso, e cosi porta

basse

basse le ciglia, odi mestitia piene. Hoc ipsum etiam *Platina* docuit in *Dial. contra amorem.* Amor, inquit, est, misesse, qui te cruciat, quod incessus tuus nunc tardior, nunc concitatior, habitudo corporis præter consuetudinem ad maciem tendentis, pallidula facies, mobiles oculi, mens varia, crebra suspiria, cogitationes tuæ somniculosæ, etiam te tacente, perfacile ostendunt. Sed qui plura amoris signa scire desiderat, Practicos Med. adeat, ac peculiariter. *Avic. l. 3. Tract. 4. cap. 23. Gordon. in lil. part. 2. cap. 20. Savonar. Tract. 6. c. 1. rubr. 14. Jason. Pratens. de morb. cerebr. c. 19. Lang. Epist. Med. lib. 1. Epist. 24. Forest. lib. 10. Observ. 29. in Schol. &c.* Hæc *Zachias*, quo cum quoad juridica consentit *Mascard. l. c. add. La Chambre des Passions, chap. 11. partie IV.* Vidi ego, inquit *Cornax. lib. 1. cap. 3. Consult. Med.* quem citat *Schenk. Observ. Med. lib. 1. de Mania, pag. 152.* meis oculis rarum amoris signum. Assidebat nobilis quidam (insanus præ amore) juvenis nobili & honestæ cuidam fœminæ viduæ, cujus nuptias ambiebat, & progressu temporis consecutus est. Hic, in prandio ad mensam cum colloqueretur, ecce vena in temporibus propè aures illi sponte aperta est, & profluxit copiosus sangvis, quem strophiolo compescere conatus est. Hæc ipse vidi, cum utrique in mensâ assiderem, in arce quadam, eò ad nobilis cujusdam curam vocatus. Quod si igitur hæc & similia signa nimium vel excessivè in subjecto quodam, ad Venerem aliàs parum prono, ex improviso suboriantur & contingant, non levis est suspicio (probationem enim non dico, cum possit ex alio quoque fundamento affectus ejusmodi enasci, quod Medicis relinquo, interim *add. thes. 1. 2. & 3.*) illud venenis aut aliâ arte magicâ ad hoc fuisse adactum, quare Judex ulterius inquirere potest, an fortè personæ quædam suspectæ fidei, imprimis eæ, quas subitaneô hoc amore prosequitur, cum ipso fuerint conversatæ, aut ei cibum vel potum, aliaque medicamenta ad graviorem alterationem conducentia, transmiserit. Huc quoque trahenda integra doctrina sæpe dictæ sympathiæ, quam Judex ex prudenti Medicorum consilio, respectu mediorum ad philtra adhibitorum, cognoscet; quibus etiam committenda sententia super Magiâ amatoriâ Diabolicâ, ne cum Melancholiâ, Maniâ, Catalepsi, aliaque forsitan naturali causâ & impetu eandem confundat. Quid? quod nec absolutè credere debeat asserto philtrantium, nisi medicamenta affectui respon-

spondeant : quamvis in sortilegio major fides incantatoribus habenda, quibus sæpius ingredientia nil operantur vi causæ *efficientis physicæ*, sed solummodò *vi pacti cum Dæmone initi* ; quamobrem etiam secundum hasce circumstantias suum decretum conformabit. Reliqua huc, præsertim ad plenam probationem, facientia B. L. ex doctrinâ causarum & specierum, de quibus *thes. 12. 13. & seqq.* egi, felicius hauriet atque edocebitur.

Thesis LXXV. Visis hactenus diversis amoris venenati juribus & pœnis, videbo etiam, quantum mihi licuerit, *de remediis hunc amorem purgantibus.* Utinam vero mihi ad manus essent *Cælius Calcagninus*, citatus *in thes. 12.* quem *Delrio, pag. 362.* & ex hoc *Beyerling. tom. 5. pag. 205. lit. e.* integrum Tractatum de Magiâ amatoriâ scripsisse refert, & *Raynaldus de Villâ Novâ, sub rubr. quæ incipit : Remedia contra Maleficia.* quem in *thes. 20.* allegavi ex *Matth. de Afflict. pag. 206.* Ast quoniam horum carentia meditationes meas Academicas, alio præterea & quidem ordinario juris studio destinatas, impedire non debuit, Tibi eos L. B. comparandos, &, si libuerit, perlegendos commendo. Promitto interim, si, uti hucusque speravi, copia mihi fiat, suo tempore super eorundem traditionibus meum me aperturum judicium. Melioris igitur doctrinæ ergo hæc remedia dividam in superstitiosa, naturalia, violenta, moralia & sancta. *Superstitiosa* quod attinet, imprimis Gentilium, illas Tibi pro me recensebunt *Delrio, Disquisit. Magic. l. 3. part. 1. qu. 3. Sect. 3. pag. 372. & seq.* & *Beyerling. pag. 207. lit. d.* Remedia, inquiunt Illi, Gentilium, quæ per incantationes & lustrationes quasdam fiebant, Christianis prorsus illicita sunt. *Virgil. 4. Æneid.* Hæc se carminibus promittit solvere mentes, quas velit, ast aliis diras immittere curas ; verè dicit, *promittere*, nec enim præstabat. *Tibullus libr. 1.* Quid credam ? nempe hæc eadem se dixit amores cantibus aut herbis solvere posse meos. Et me lustravit tedis, & nocte serenâ concidit ad magicos hostia pulla Deos ; non ut totus abesset amor, sed mutuus esset, orabam : nec te posse carere velim. Putabant enim his lustrationibus alterutrum evenire, vel ut amore liberarentur, vel votis potirentur. *Nemesianus* inducit pastorem quærentem, hæc omnia sibi incassum cecidisse : quid prodest, quod me peregrini mater Amyntæ ter vittis, ter fronde sacrâ, ter thure vapore lustrarit, cineresque a-

ver-

versa effudit in amnem, incendens vivo crepitantes sulphure lauros, cum sic in Meroën totis miser ignibus arsi? Vittas intellige funesti Viri: ut dictum superius. Omisit & aquæ aspersionem, de quâ *Propert. libr. 3.* loquens de amore: Quod mihi non patrii poterant avertere amici, eluere aut vasto Thessala saga mari. Putavit Vir Doctus etiam ebris & laminis usos pro periaptis contra magicas devotiones (quod non negandum) & probat his Arnobii versus; Adversus ictus noxios & venenatos colubrarum morsus remedia sæpè conquirimus & protegimus nos laminis, Psyllis, Marsis ventibus, aliisque Institoribus atque plantis. Sed fortassis illic pro laminis corrigendum jamidis (ut olim *Franc. Bentius.* noster censuit) qui autem Jamidæ, docuit *Petrus Victorius, libr. 13. Variar. Lect. cap. 15.* nempe aruspices nugacissimi. Hanc secuti opinionem Gentilium videntur non *Eunapius* modò *in vitâ Edesii*, de illâ, quam Magus Philometor in amorem pellexerat, magus verò Maximus amore solvit, & *Plinius*, sed & *Pomponatius*, Homo malè Christianus. *Superstitiosa* Christianorum, præsertim Romano-Catholicorum, judico, appensionem agnus Dei, reliquiarum de sanctis, exorcismos, aquam benedictam, implorata auxilia beatorum, & angelorum, & maximè beatissimæ Deiparæ Mariæ, quæ, ut castitatis amantissima, ita (juxta illos) summoperè desiderat homines hac spurci amoris lue liberare. Sic maximè superstitiosi sunt, qui, ad amovendum philtrum, Magos consulunt & sortilegos, arbitrariè puniendi, per ea, quæ habet *Carpz. Prax. Crim. part. 1. qu. 50. num. 64. & seqq.* An verò superstitioni etiam annumerandum, *si quis, per Magiam Diabolicam, philtratus signa philtrationis comperta, per quæ, tanquam per pactum, Diabolus magis concurrere promisit, destruat, aut aliàs, ad sanitatem suam recuperandam, Magum philtrantem ad tollendum veneficium vel impetuosè cogat, vel amicè sollicitet?* Respondeo ad hæc omnia negativè: quia (1.) remedium illud non est prohibitum jure positivo, nec quicquam in hâc amotione intercedit illiciti. (2.) quia conducit ad rescindendum pactum, quod, permissu divino, Magi cum Diabolo, respectu philtrati, inierunt. Nec (3.) ex naturâ rei, per se & intrinsecè, malum est; imò (4.) suscipitur mediis licitis, bonâ intentione & fine, neque pactum cum Diabolo importat: intenditur enim sanitatis restitutio, noxæ cessatio, atque fœderis Diabolici abolitio: de

quorum omnium uberiori explicatione *vid. Dn. Præses, in Impot. Conjug. cap. 7. thes. 7. per tot. pag. 170.* & G. P. Harßdörff. in Geschichte-Spiegel / *Cap. 83. per tot. pag. 606. & seqq.* *Naturalia*, puta maniam purgantia, hic Physico-Medico, ut sæpe à me supra factum, examinanda relinquo; quale quod de Scythicâ & Promethea herbâ refert *Propertius*; quod de insperso corpori pulvere, in quo se mula voluta verit (de quo etiam *Kornmann. de Linea amoris, pag. 671.*) vel hirci urinâ bibitâ, vel rubetâ in corio pecoris recentis alligatâ & de Virgâ lupi *Plin. libr. 28. 32. & 39. & Pomponat. lib. de incant.* Cyrici, pergit *Kornmann. l.c.* fontem cupidinis inveniri, ex quo potantes amorem deponant, *Mutianus* existimat. In dextro ranæ latere, quæ Rubeta vocatur, ossiculum inveniri ajunt, quo amor inhibetur; chamæleontis jecinore amatoria dissolvi ex Democriti sententiâ traditur. Salutare contra amatoria fascina arbitratur *hortus sanitatis* florem S. Johannis, qui dicit vesperi natalis D. Johannis decerptum & super lecto suspensum. Sed objicias, res sensibiles non posse agere in spiritum? tractat hanc materiam peroptimè *Hieronym. Mengus, in suo flagello Dæmon. cap. 3.* allegans *Ricard. de Mediâ Villâ, quodlibet. 3. qu. 8.* quod etsi herbæ armoniæ res corporales non possunt suâ naturali virtute totaliter excludere vexationem, possunt tamen illam mitigare. Certum est autem, quod herbæ armoniæ & multa alia sensibilia multum possunt immutare dispositionem corporis, & ex consequenti motum sensualitatis; hoc patet de herbis, cum quædam inclinent ad lætitiam, quædam verò ad tristitiam. *Hæc Kornmann.* Lapidibus & herbis vim aliquam tribuit *Canon. Dæmonium. 26. qu. 7.* Sic radices varias commendat *Josephus, l. 8. Antiquit. c. 2. & l. 7. bell. Jud. c. 23. Plinius* ille Dæmonum ludibriis arcendis pœoniam, sed nigram; valdè Verbascum *Botanographus Apulej. lib. de Virtutib. herbar. cap. 71.* Et herbam Ypericon, alias fugam Dæmonum nominatam, tradit citatus *Kornmann*; item rutam *Autores* undiquaque. **Die Musik hilfft auch und vertreibet die Liebe / Zeiller. Sendschreiben** / *part. 1. Epist. 87. pag. 251.* Ut patet per *Philosophum 8. Polit.* ubi vult, quod diversæ harmoniæ habeant provocare diversas passiones in homine: hoc idem refert *Boetius* in suâ Musicâ & *Autor* de Ortu scientiarum, ubi loquens de utilitate musices dicit, quod valeat ad curandum diversas infirmitates. Exemplum *1. Reg. 17. & ibi Lyra, Tob. 6. Alexand.*

Papa

Papar. in ſuâ Epiſtol. Guido in ſuâ M. ſuâ. Malleus Maleſ. part. 2. qu. 2. cap. 5. vid. Kornmann. l. c. add. Beyerlinc. pag. 207. lit. d. Dn. Freud. de Veneſic. qu. 236. pag. 468. Plures curationes medicas nobis ſubminiſtrant *Sennert. Pract. Medic. lib. 1. part. 2. cap. 10. pag. 360. Schenck. l. 4. rubr. de Impot. Vener. pag. 590.* Notabilia ſunt, quæ ex *Valleriolâ Obſervat. 7. libr. 2.* affert Idem *Schenck. pag. 153. de Maniâ.* Vir quidam, mercator, innuens (cujus nomini, ob eam, quæ in Medico eſſe debet, modeſtiam atque prudentiam, parco) ex amore in inſaniam deductus, Melancholicus effectus eſt, mirisque viſis etiam interdiu, nedum noctu agitabatur, modò in iram ac furorem concitus, mox placabilis in riſum effuſus, amatæ ſpeciem ſe in momenta ſingula in conſpectu habere affirmabat, illi blandiebatur ac ſi præſens fuiſſet, mox quod ſe amantem redamare nollet, miris increpabat modis, omnis de amatâ ſermo, omnis inter luctus ibat dies, noctem ſine ſomno triſtitia mœrorque conſumebant & ſibi ipſi injeciſſet manus, nî ſuorum vi prohibitus fuiſſet. Cum ſic inſaniens totos ſex conſtitiſſet menſes, egoque eò profectus eſſem, ubi æger laborabat, ad curam accerſitus, hominem magno ſanè labore, multiſque in eam rem paratis auxiliis, ab inſaniâ, DEI gratiâ adjutus, revoco & integræ menti ac ſanitati reſtituo, *add. idem Schenck. pag. 154. ſub tit: hiſtoriæ amore inſanientium & perditè amantium, qui earum, quas exarſerant, conjunctione & perfruitione, ab amoris inſaniâ, mœrore item & tabe liberati ſunt. jung. Wecker de Secret. lib. 4. de animo, pag. 78. item pag. 86.* quem tamen in multis parum à ſuperſtitione abeſſe ſuſpicor. *Violenta* remedia, imprimis cum eo, per quod homo naturam, vel ſuam, vel alterius, in totum deſtruit, ſimiliter hic abjuranda cenſeo, quale fuit remedium Cratetis Thebani apud *Laertium lib. 6.* ſcilicet amorem fame ſedari, ſin minus, tempore, quod ſi duo hæc minus ſuffecerint, ad laqueum eſſe accedendum; talia Raſis ac Pauli Ægynetæ licentioſa balnea, tripudia, commeſſationes, & quæ ſequi ſolent deteriora: tale etiam juxta *Delr. l. c.* illud Fauſtinæ (Juſtinam eam vocat *Kornmann. pag. 70.*) quo uſus M. Antonin. Philoſophus, qui gladiatorem ejus adulterum occidi juſſit, & illam incedere inter caput & Collum, *Capitolin. & Suidas*, vel ut alii volunt, Chaldæorum ſvaſu et gladiatoris occiſi ſanguinem bibendum tradidit, & ſtatim cum Viro ſuo concumbere præcepit, *Chytr. in Delic. Itin.* Vidimus plures,

dicit *Roussetus*, Maniacos, Melancholicos & insanos, qui sibimetipsis tàm testiculos, quàm virgam præsecuerunt. Quod à me Aureliæ observatum est in Episcopi Nannetani Architriclino, qui ex rabie amoris in profundum puteum præcipitem se dederat, quo loci omnia ea, quæ amoris morbum causabantur, exsciderat, tantâ cum hæmorthagiâ, ut facile est colligere, cum ea perseverarit, donec exindè extrahi posset, tamen mortuus non est, *de partu Cæsareo, Cap. 6. Sect. 4.*

Thesis LXXVI. *Moralia*, quæ in agendo potissimum consistunt, eleganter versu quodam complexus est *Delrio, pag. 373.* Ocia, segnities, somnus, caro, fœmina, vinum, prosperitas, ludus, carmina, forma, puer. Adi Illum B. L. & explicationem singulorum verborum fusissimam expectes, mihi enim hac vice non vacat, de singulis in locum abire communem. Et *Zeiller. Epist. 482. Cent. 4. pag. 593.* Dawieder dienen (1.) die Flucht vor den Müßigang. (2.) die Vermeidung der Gelegenheit. (3.) Mäßigkeit in Essen und Trincken. (4.) ein eiffriges Gebeth; und dann (5.) wenn die Eltern ihre Kinder in der Jugend nicht in einem Bette zusammen liegen / auch nicht untereinander baden / und die Schulmeister / Buben und Mägdlein nicht beysammen sitzen lassen. Consule quoque *Rodericum à Castro in Medic. Polit. libr. 4. cap. 2. pag. 222.* qui & violentas & morales purgandi rationes, licet paulò brevioribus, iisdem interim cum *Delrione* verbis, repetiit. Putarem etiam, ejusmodi philtratum, si modo adhuc vel mica rectæ rationis penes ipsum resideat, sæpius cogitare, aut eidem per tertium demonstrari debere principalissimum justitiæ officium, suum cuique esse tribuendum, quod utique ille non facit, qui ex amoris impetu quid inordinati appetit aut flagitiosi perpetrat, cui omninò pœna, tametsi non regularis, à Magistratu applicatur: quare quod sibi fieri non vult, alteri ne faciat. Quod *remedia sancta* attinet, sunt illa occupatio mentis in curis gravioribus, cogitatio mortis & inferni, lectio bonorum librorum, preces ad Deum fusæ, susceptio sacramentorum, magna fides & fiducia in DEum, invocatio nominis Jesu, *add. de fid. sive fiduc. in Deum efficac. adverss. malefic. Cassian. Collat. 8. cap. 18. & 19. Paulin. in vit. S. Ambros. Greg. l. 1. Dialog. cap. 14.* Utile quoque frequenter meditari, non externam illam & perituram citò speciem, quæ fragilis, caduca,

sæpè

sæpè mendosa & fucata, & falsis tantùm lenociniis adumbrata: Sed rimari cogitatione internam & profundiorem corporis constitutionem, quid illa fuit, antequam nasceretur? stilla seminis spurci & olidi, quid nunc est? saccus stercorum, aufer cuticulæ pelliculam, quid ita tetrius, aut horribilius; quid cadaveri propius? sterquilinium nive contectum albet. Solvantur nives: pax; pax naribus & oculis; clamabunt omnes & diffugient, nive fugacior est forma, non liquatur sed vanescit, illam aqua excipit; hanc quid nisi deformitas & formido, qualis mormolycii? cum anima diffugerit, quid futura hæc, sive Lais, sive Helena? esca vermium, cadaver putridum, fœtens, tabe dissolvendum, ex cujus spinæ medullâ serpens terribilis enascetur; Hoc amem, hoc depeream! Conducunt eadem ferè verba *Chrysostom. in Orat. de Pulchrit. & uxor.* quem citat *Philip. Camerar. Oper. succis. Cent. 1. Cap. 10. pag. 41.* Qvum igitur, inquit, vides venustam mulierem, fulgidum habentem oculum, vultu hilarè coruscantem, eximium quendam decorem aspectu præ se ferentem, urentem mentem tuam & concupiscentiam augentem: cogita terram esse id, quod admiraris; stercus, quod te urit; & conquiescet furens animus. Detege ipsi cutem vultus, & tunc videbis omnem venustatis vilitatem. Ne subsistas superficie tenus, sed interiùs penetra cogitatione; nihil aliud invenies, quam ossa, nervos & venas. Sed non sufficiunt hæc: Cogita mihi, eam alterari, senescere, ægrotare, subsidentes oculos, cavas genas, florem illum omnem defluentem. Animadverte quid admiraris; & stercus, & pulvis te urit, & cinis. Pulchritudinis enim ejus, quam aspicis, substantia nihil aliud est, quam pituita, destillatio, sanguis, & alimenti computrefacti succus. His enim & oculi, & genæ, & reliqua omnia rigantur. Quod nisi cotidie rigationem illam accipiat ab alvo & jecinore prodeuntem: statim tota avolat, subsidente plus æquo cute & oculis in cavum recedentibus. Quocirca si tecum reputes, quid intra pulchros illos oculos subsit, quid intra rectum nasum, quid intra os & genas: nihil aliud dicturus sis, venustatem corporis, quam sepulchrum calce illitum. Tantis sordibus intus plena est. Et panniculum quidem hujuscemodi aliquid, veluti pituitam vel mucum habentem si aspicias, ne extremis quidem digitis contrectare, imò nec aspicere sustines; ad horum autem cel-

las

la: & horrea obstupescis? Is igitur, qui corporis amator est, & ad venustatem puellæ obstupescit, si non velit sermone discere deformitatem substantiæ, ipsam in se & aspectu cognoscet. Etenim multæ æquales amicæ illius ac sæpe numero splendidiores etiam, defunctæ, post unum atque alterum diem fœtore & tabo oppletæ sunt & putredine vermium. Cogita ergò, cujusmodi pulchritudinem amas homo, & qualem venustatem obstupescis? Quo respexit idem *Chrysostomus super Psalm. 50.* ubi dicit: Quid est speciosa mulier? Sepulchrum dealbatũ, nisi fuerit sobria, casta, pudica. Pulchritudo autẽ sine his virtutib9 est præcipitiũ patens, venenum inspicientib9 compositum. Certissimum itaq; *Gregorius lib. 16. Moral.* remedium docuit contra procaces istos affectus. Caro, inquit, qvum concupiscitur, pensetur, quid sit exanimis, & intelligitur quid ametur. Nihil quippe sic ad domnandum desideriorum carnalium appetitum valet, quam ut quisque quod vivum diligit, quale sit mortuum pensęt. Hoc innuere voluerunt Græci, qui trinâ suâ recordatione mortuorum eis certis diebus justa persolvere solent, ut in *Cruſii Turco græciâ* refertur. Mortuis enim persolvuntur Tertia, Nona & Quadragesima; Tertia, quod mortuus die tertio immutatur agnitione faciei amissâ; Nona, quod nono die totum corpus defluit, præter cor; Quadragesima, quod quadragesimo die ipsum cor quoque perit, &c. *Hactenus illi.* Solet nonnunquam cum piâ aliquâ remonstratione adhiberi dolus, uti *Grotius l. 3. c. 1. §. 7.* eum vocat, negativus, quo de *Idem Delr. pag. 375.* tale consilium suppeditat; Narrat *Suidas* de Hypatiâ Alexandrinâ; eam, cum consilio nequiret auditoris adamantis importunam sollicitationem abrumpere, panniculos ei suos, fluore menstruo maculatos, objecisse; Hoc, inquiens, est adolescens, quod amas: nihil autem pulchrum. Appa & Gela, Forojulienſis Ducis Gisulfi filiæ, carnis putridæ sub mamillis positæ odore, suam defendere castitatem, Barbari enim, naturâ ita fœtere Longobardorum mulieres opinati, intactas reliquere *Annal. Bojor. lib. 3. & Anton. Bonfin. lib. 8. Rer. Hungaric. decad. 1.* Sed & Thomas Cantipratensis pium quendam Virum, cum cogitationes importunas cujusdam mulierculæ formosæ, dum viveret, animo abjicere non posset, sepulchrum narrat ejus apperuisse & amplexum cadaver tabidum, faciem faciei ejus contaminatæ tabe vermibusque imposuisse, & in hoc fœtore volutatum ore; donec fœtor & horror omnem libidinis memoriam

su-

superassent, *add. Æn. Sylv. Epist. 108.* Imprimis autem remedi s sanctis opus est, si amor venenatus per remedia Diabolica alicui concilietur. Sic cum plerisque aliis censeo, inquit *Schenck. l.c. pag. 590.* ad hyperphysicum ejusmodi malum *entis veneni Magici* vix certi aliquid ex physicis auxiliis statui posse: quandoquidem diversissimis institutis ad hoc negotium lamiæ cum mille-artifice suo utantur. Quemadmodum proinde cùm alibi, tùm verò maximè hoc loco *divinum* illud in *morbis* suspiciendum, &, post *spirituale* medicinam, *Verum* ejusdem *amuletum* & periapton cognoscendum: unde *centrum vitæ* (cui magicus character primariò insidiatur) animetur atque perpetuet. Interim in materiâ mediorum sanctorum, imprimis in confessione peccatorum speciali coram facie divinâ peractâ, probè attendant clerici, ne fortè imprudenter, confessionis loco, virgines interrogando philtra ipsas doceant. Sic enim, inquit *Dn. Frommann. sæpè cit. Tract. de Fascinat. Magic. libr. 3. part. 6. cap. 12. §. 15. pag. 827.* In Tractatu quodam Patres Jesuitæ pro faciliori à Laicis commissorum peccatorum exploratione informari, ut & hoc quærant: num confitens piscem in suis genitalibus suffocatum ei, cujus amorem expetiisset, ad comedendum propinarit? Vir quidam, tàm candoris, quàm pietatis & eruditionis laude maximè commendatus, in literis, quas etiamnum adservo, ad me pridie Calend. Februarii Anno 1664. perscripsit. Unicum adhuc, & quidem ridiculum, colophonis loco, lubet annectere ad Curationem amoris nostri Venenati, quod habet *Becker. in Microcosm. Med. lib. 1. Cap. 5.* (quamvis, nisi præfatâ Lectoris veniâ, nequeat referri) quando dicit; Narrant quidam, quod si quis amore sive maleficiô amatoriô fascinatus fuerit, ad amandum, præter voluntatem, Virginem; ut is novos induat calceos, milliareque unum obambulando conficiat, quò sudor animadvertatur, postque vinum è calceo, dextri pedis sudore madido, hauriat, sic ab illicito illo amore liberari, amoremque in odium converti dicunt. Paulò aliter hoc præscribit *Hieronym. Cardan. libr. 2. de Varietat.* eum, qui stercora recentia amicæ in suo ponat calceo, & calceum statim induat, amore liberandum. An hoc verum sit, dubito, experientiæ tamen relinquo. Interim audiat Vir Cordatior *Delrionis* epicrisin *pag. 375.* Utatur ille suo remedio, apage has sordes; equidem tetro odore amorem fastidio commutan-

mutandum crediderim, quamdiu fœtor durabit: post, nescio, nisi quis mentem similibus (quas dixi) cogitationibus muniat, armetque.

Thesis LXXVII. Detentus hactenus multâ quaternionum congerie, per ea, quæ subinde gravitatem sonuêre positivam, tandem pauca de Amore licitô rerum & personarum, defatigatô quamvis calamô, subjiciam. Pono igitur hominem, sibi, vel ut mitius loquar, legibus naturalibus solùm derelictum, cui, cum jus, ex complacentiâ superioris Magistratus Politici ortum trahens, nunquam innotuit, naturalis datur facultas, contra hostem, *add. thes. 5.* & respectivè malevolum quemvis, se defendendi, in tantum, ut etiam, ante inimicitiam realiter in actum deductam, cautionis loco, hoc jus eidem competere firmiter credam: Quoniam hac ratione influit licitô medio ad licitam rem, subque intentione finis maximè liciti. Quid enim, si pater novercali odio seductus fuerit? si ipsa noverca furibunda Erynnis existat? quid si maritus uxoris, aut Dominus servorum, absolutum meditentur interitum? quid si Princeps provinciæ excidium constituat, *vid. Dn. Præses, in Not. ad Hug. Grot. l. 1. c. 4. §. 11.* aut cum Heliogabolo omnis Romæ simultaneum Collifragium exoptet? ecquis tum temporis prohibere velit adhibitionem medicamentorum affectus inordinatos moderantium, flectentiumque pariter ingenium ad consilia mitiora? Probè tamen caveat, ne, ut supra non semel atque iterum monitum, (α) hæc venena in applicando mensuram excedant, aut (β) superstitiosa sint; naturalibus quippe benè præparatis, & honestum in finem propinatis philtris debitam honoris laudem detrahere nemo potest, *conf. Dn.* **Frommann.** *de Fascinat. Magic. l. 3. cap. 12. §. 14. pag. 827.* De artefactô amore licito circa res idem formo judicium.

Thesis LXXIIX. Contrarium amoris Venenati sequatur, quod est odium ex probabili antipathiæ doctrinâ & possibilitate (cum contrariorum eadem sit ratio) per artem conciliatum. Hoc itidem dari affirmo, adstipulantibus, præter *Farinac. loc. sæpè cit. num. 116. Hippolit. de Marsil. ad l. 3. §. 2. n. 1. ff. ad Leg. Cornel. de Sicar. pag. 256.* qui putat, ex hoc maleficio homines & mulieres mori aut saltem indies annihilari, tanquam habentes morbum gallicum; infertque proterea, quod hujusmodi malefici deberent durius puniri, quam dantes

dantes vel facientes venenum ad occidendum. Venenum enim sic ad occidendum datum intra parvum tempus occidit; illud verò maleficium homines semper dilacerat, adeò, ut, juxta Eundem, non semel, sed millies moriantur. Facit nobiscum, tametsi primâ facie contra nos stare remque in dubium vocare videatur, uti etiam de amore supra *thes. 3.* processerat, *Jordan. l. c. pag. 89.* Maleficii subjiciens, odii par est ratio. Tu potes unanimes in prælia mittere fratres, habet notus versiculus. Quanquam enim pharmacis naturalibus haud difficulter, humorum ratione, possit induci ferocitas, morositas, crudelitas, imò tandem misanthropia, ut vel ipsis caritatibus nostris nos subtrahamus; Dæmon deindè hoc dirigere in certam personam, omnes odio oportunas imagines phantasiæ objiciendo, cum amaritudinis miris modis causisque, ceu *Codronchius noster libr. 3. de morb. Venef. cap. 8.* illustri exemplo fœminæ Neapolitanæ ditionis probat: libertati tamen arbitrii seu voluntati nostræ, quamdiu mens sibi verè constat, minimè vis infertur. Contrarium (philtro) inquit *Jacob. Gothofred. in Comm. ad Codic. Theodos. lib. 9. tit. 16. l. 3. tom. 3. pag. 118.* est μίσητρον, *Origines 7. contra Celsum.* quod *Fabius declamat. 14.* odii potionem dixit: in misetris herbarum usus ut Prometheæ, *Propert. lib. 1. Eleg. 3.* an quæ lecta Prometheis dividit herba jugis. Fuit in civitate. N. Sutor quidam, qui odium uxoris suæ bibit cum vino, à vetulâ quadam in convivio sibi præbito. Ille per intervalla correptus furore, in uxorem debacchatus, sæviitque verbis, verberibus, quin & gladio quandoque. Tandem, declinante insaniâ, desperabundus in summum tectum confugit, suspendio vitam finiturus. Hic benè quotidiè sensit tormina & sanguinis mictu perpetuo laboravit, *Schenck. Observ. Medicinal. lib. 7. rubr. philtra. pag. 390.* Novi, inquit, *Schottus, Mag. univers. part. 4. libr. 5. cap. 5.* quodam loco honestas fœminas, matrem & filiam; fuerat filia jam aliquot annis matrimoniô juncta, sed, propter incredibilem horrorem ab actu matrimoniali, nunquam admittere voluerat Virum, eumque adeò aversabatur, ut, vilô illô, aufugeret, & accedentem modis omnibus abigeret. Existimabant passim, eam dicto maleficio affectam. nec parum pecuniæ insumpserat mater in remedia. Venit tandem ad me mater, suum infortunium conquestura. At quoniam difficulter credo, maleficium subesse, ubi causa

naturalis subesse potest, judicavj, filiam melancholiâ laborare. Svasi igitur honestam animi laxationem ei concederet; quo facto, non diu post, cum Melancholiâ, evanuit & odium erga maritum. *Helmont. in jur. Dunm Vrat. §. 54.* scribit, dari simplicia, quæ inebriant, somnum, stuporem, amentiam, furores, & deliria inducunt; esse item alia, quorum usu in amores, rixas, imò in certas saltem personas feruntur. Unterweilen / *inquit Erasm. Francisci, part. I.* der Lustigen Schau-Bühn dritte Versamlung. *pag. 540.* zerrüttet der Satan den Verehlichten ihre Phantasey / daß eines vom andern ein schreckliches und abscheuliches Concept oder Wahn erfasset / und derhalben einander meiden und fliehen / gleich wie eine Schlange. Solcher Gestalt hat / wie Æneas Sylvius (*in Histor. Bohem. & Baptist. Egnat. l. 3. c. 2.*) schreibt / eine Böhmische Magd / Valazka, die Weiber / durch Zauberey / ihren Männern dermassen auffsatzig und feindseelig gemacht / daß sie endlich gar zusammen geschworen / und ihre Männer / Brüder / Väter und Söhne allesambt / in einer Nacht / umbgebracht; folgends auch alsobald für des Königs Primislai Schloß gerückt / und das Königliche Kriegsheer schier biß auffs Haupt erlegt: nicht etwan / als die alte berühmte und tapffere Amazonische Kriegsheldinnen; sondern / wie lauter rasende / blutdurstige Furien aus der Höllen. *add. Dn. Præses in Impot. Conjug. Cap. 6. pag. 120.* Vielmahls treibt der höllische Bößwicht sein Affenspiel mit den Armen Leuten: in dem er bald in ihnen eine hefftige Brunst und begierden erreget; Dem Mann die schöne Gestalt seiner Allerliebsten fürbildet / und dadurch / bey ihme / ein sehnlich-liebreiches Verlangen / ihrer zugenießen / erweckt: so bald sie aber zu würcklicher Beiwohnung schreiten wollen; Wendet der Betrieger das Blat umb / und die Liebe plötzlich in einen bittren Haß; Leschet die vorige annehmliche impression, oder Fürstellung / gäntzlich auß; und mahlet den Mann seiner Frauen / oder diese dem Manne aufs allerhäßlichst und gärstigste für: daher sie einen Abscheu bekommen / einander zu reißen / beissen / kratzen und rauffen beginnen. Wie mir dann noch neülich ein solches Exempel / von einen Erbarn und Fürnehmen Manne / vermeldet: Welcher seine Liebste / zu andrer Zeit / so gar inbrünstig liebe / daß zubesorgen / er dürffte sie vor alzuhitziger Liebe auffressen; hingegen / so bald er sich untersteht / sie zu umfahen; sie

wiederumb

wiederumb hasse wie die Pestilentz. *Confer. Amicus noster, &, respectivè, Patronus Dn. Petrus* Müller *l. in annal. pronub. thes. 33. pag. 80.* Ansam reddendi dementes ut facilè alienentur, monstrat *Wecker, Secret. l. 4. pag. 87.* ex *Joh. Baptista Porta*, Mandragoræ, dicens, radices accipiunt, & in mustum adhuc fervens, & in bullas tumens dimittunt, operculum indatur, aptoque loco tribus servetur mensibus, cum eo indigueris, potui dabis: qui id hauserit, ubi multum profundo fuerit demersus somno, mente capitur, ut per diem non parum deliret: at post somnum solvitur dementia, nec malum defert multum, multumque fuerit voluptuosum videre, periclitanti. Sic de Cameli spumâ ab ebrio potatâ fertur, ita tamen, ut dicemus, sævius dementant. Et menstruorum profluvio sangvinem capiunt fœminarum, perniciosior est tamen biliosarum & sterilium, potiorem retinet in se vim, cum sylvestris cati cerebro remiscent, integram sinunt cum suâ nocte diem, vitreis inde vasis aquam eliciunt, & poculentis immiscent, & tamdiu insaniet, quamdiu perniciosum destruet virus, & abiget, quod in mense fiet: & si volunt, poterunt sopitam rabiē excitare. Vel sic: muris cerebrum, cati, ursi, canis spuma, & vespertilionis optimè cū myrrhâ aliquo remixta vase fimo obruunt & exaggerāt octo dierū spatio, per destillationē aquam extrahunt, quâ potionatâ, memoria veneficâ proprietate tollitur, & intellectu carere facit. Modum quendā purgandi hunc affectum docet *Becker. Spagyr. Microcosm. pag. 89.* cum quo consentit sæpe laudatus *Dn. Frommann. l. c. pag. 820.* Ejus, inquiunt Illi, exhibe alteri personæ, quæ odium alit, in vini haustu Dr. j. ad Dr. ij. aliquoties repetendo, & mirabili admodum metamorphosi animi dissidentium conciliabuntur, omnium rixarum fomites, seu irritamenta, cessabunt, si duntaxat, præter hanc medicinam & piorum consolationes, & jucundæ svasiones accedunt: malevolorum verò garritus & nugæ abarceantur. Hac ratione Conjuges, furiis rixarum agitati, redintegrato pristino favore in individuum amorem, mutuosque amplexus rediisse explorata & confirmata apud Philosophos experientia fidem facit. Pœna in his omnibus ad Forum ordinarium spectat, nisi hoc unicum cordi habueris in puncto excipiendi philtrati, qui ex impatientiâ affectuum, ne fortè tertius amasiâ suâ potiri queat, odium causatur quem ex arbitrio circumstantiario puniendum æstimo. Reliqua ex Contrariorum hactenus traditorum probè trutinatâ hypothesi L.B. judica.

CONCLUSIO.

Quæ proteſtatus ſum in Præloquio hujus Diſſertationis, eadem in optimâ juris formâ tibi L. B. repeto: in Tui ſaltim gratiam, ne fortè tædioſus fias, hoc, quod chartæ ſupererit, Indicis loco ſubjungo.

Th. I. Adſtruitur, non ſolum dari amorem venenatum in genere, ſed etiam in ſpecie: allegantur diſſentientes, quibus generalis opponitur diſtinctio inter cauſam ſolitariam & ſociam.

Th. II. Inducuntur quatuor argumenta Bokelii & Roderici de Caſtro, quæ diluuntur.

Th. III. Quintum, ſextum & ſeptimum dubium Bokelii, Roderici, Rejes, aliorumque proponitur, & examinatur.

Th. IV. Octava objectio, voluntatem ſcilicet cogi non poſſe, ponderatur & deciditur.

Th. V. Alia opinio Delrionis, Jordani atque Caſtrenſis ſiſtitur, & infimul Conſtituito Neapolitana in theſ. I. citata refelſitur.

Th. VI. Nova Hennelii inſtantia refertur & cum communi de Olympiade aſſerto proſternitur.

Th. VII. Tertia & quarta oppoſitio Hennelii allegatur & rejicitur.

Th. IIX. Mercurialis ex Hennelio citatur & refutatur.

Th. XI. Incantamenta diabolica examinantur cum quæſtione, quam in dubium vocat Bokelius: Annon Diabolus ad veneficia mediis naturalibus abutatur?

Th. X. Vindicatur Juſtinianus. Reprimitur Delrio contra Vierum diſputans. Cenſetur Baronius. Taxatur Bokelius Conſtantinum refutaturus. Notatur Vierus, probaturque, philtrationem Satanicam dabilem eſſe.

Th. XI. Autoritas poſſibilitatis philtri tàm ex profanis Autoribus, quàm ſacris textibus, unà cum cenſurâ veterum Doctorum,

rum, qui philtra fecerunt. Annectitur denique Amoris Venenati definitio.

Th. XII. Divisio Amoris Venenati in licitum & illicitum; ubi illiciti causa efficiens tam in genere, quàm in specie, tàm Instrumentalis quam Principalis ex Dd. refertur. Ad quam Posteriorem notes verba *Paradelsi, Th. 1. de Morbis amentes cap. 5.* Quod illi, qui ederunt aut biberunt aliquid à scorto datum, in amorem alicujus conjiciantur & rapiantur, causa hæc est, quod simplicia quædam existant, à nobis hic minimè enumeranda, quæ istam in se vim habent, quæ si vir fœminis, aut hæ illis, propinant, amor indissolubilis & pertinax inducitur. Simili operâ canes quoque & pecora ad eorum amorem coguntur qui medicinas istas præbent. De experientiâ *Michaelis avq, Betkeri* vid. *Dn.* **Frommann.** *l. c.* Quicquid in contrarium velit *Bokel. cap. 8.*

Th. XIII. Vindicantur alia ad causam instrumentalem facientia & remittuntur.

Th. XIV. Causa finalis exhibetur cum judicio super traditis Grotii.

Th. XV. Accusatur Sexus fœmininus ratione Veneficii amatorii; Mulieres Portugallo-Indicæ inducuntur; Locus Hieronymi & Rhodigini communis subnectitur.

Th. XVI. Pactum sagarum Diabolum involvens suppeditatur.

Th. XVII. Subjectum vel ut *Quod* vel ut *Quo* subjicitur, junctô objectô personali atque reali, cum causâ formali.

Th. XIIX. Occasionaliter species amoris illiciti per exempla manifestantur, quatenus illæ vel corpus afficiunt, vel generaliter eliciuntur per medicamentum in quanto excedentia.

Th. XIX. Sequitur amoris illiciti consideratio excessiva in quali. Quid? in quali & quanto simul.

Th. XX. Nova species respectu causæ finalis illicita hic ponderatur.

Th. XXI. Media in applicatione excedentia sequuntur.

Th. XXII. Afferuntur media execrabilia aut alioquin insolita. Reformatur Versio Germanica Lutheri ad Baruch. Subnectitur conjectura ad philologiam Delrionis. Unicum modò notes,

in

in thesi omissem, reliquiohs historiam ab adversario nostro *Famiano Strada*, Romano, è Societate Jesu, *de bell. Belgic. decad. II. lib. V. sub Ann. 1584. pag. 271. & seqq. ex Macabei. ut Isselt. lib. 2. de bell. Coloniens.* relictam, in puncto ibidem citati Gebhardi Truchsesii. Gebhardus Truchsesius, inquit Author, Othonis Cardinalis Augustani fratre genitus, vix Archiepiscopatum Colonienſem & Imperii VII. viratum adiit, qvum Agnetis Mansfeldiæ amore miserè captus, (erat hæc una ex Virginibus, quas in Gerresemio Gynæceo Canonicas appellant) de potestate mentis abiisse visus est. Amoris initium hoc commemorant aliqui. Transtulerat sese Coloniam è Bonnâ Truchsesius, componendæ pacis inter Catholicu Regem atq; Ordinum provincias à Cæsare designatus: atque in magnâ mortalium frequentiâ, ad supplicationem Coloniæ indictam confluentium, Agnes advenerat. Fortè per eos dies Scotinus, notum malas per artes nomen, Coloniæ agebat. Is in Truchsesii familiaritatem adscitus, dum hominem, ad inania facilem, spectris ac præstigiis oblectat, quodam die ab epulis ac vino incalescenti, remotis arbitris, pollicetur, se in speculo, quod illic erat, imaginem formosissimæ puellæ Coloniam tunc profectæ repræsentaturum, statimque Agnetis facies, sed, quam ipsa, venustior, Truchsesii oculos everberavit. Scilicet exarsit ille ad eum adspectum: iisdemque flammis, sibi ac Germaniæ feralibus, ex incendiario speculo conceptis, nimis quàm multos involvit. Exinde Agnetem Præsul invisere, apud se invitare, Coloniâ Thuringiam abiturientem Bruellæ in oppido, Coloniæ proximo, excipere, ac longè familiarius, quam Episcopum ac puellam deceat, solus solam adhibere, donec, evulgato flagitio, fratribusque, nobilibus viris, maculam familiæ illatam sanguine deleturis, Truchsesius promittit, se repudiatâ Colonienſi Ecclesiâ ac remisso Imperii VII. viratu, Agnetem sibi conjugem assumturum. Visa hæresium magistris opportuna occasio novi Evangelii per Episcopi nuptias propagandi. Certatimque Truchsesium adorti, facilè suasere homini ducturo libenter uxorem, & Colonienſis Ecclesiæ Præfecturam ægrè deposituro, sacras ut infulatus maritali vinculo colligaret. Simul ab hæreticis Germaniæ Principibus animatus ad novam sponsam Ecclesiæ sponsæ superinducendam; nihil ultrà deliberandum putavit, qui tot Procerum consiliis, ac votis potissimum suis obsequeretur. Ac statim firmato

in

in Episcopatum & Conjugium animo, atque (ut scelus sceleri viam emollit) ejurata palam Catholica Religione, per quam sacrilegium sibi esse non liceret; insulatus Coloniæ Antistes, jam pridem inter initiamenta sacrorum, DEO votus dedicatusque, magno luxu pompaque nuptias, Calvimano parario, cum Agnete Mansfeldia celebravit, nuptamque in sacram Archi-Episcopatus aulam maritus Præsul induxit. Atque hisce demum gradibus, prima illa intemperies ludicras præstigiatoris artes inspectandi, præcipitem egit Colonienſem Antistitem, ignarum non alio Dæmonem pretio ludos hominí facere, & oblectamenti poculum verè Circæum propinare, nisi ut in obscœnos pecudum mores cupiditatesque degenerem, inserto in os freno subactum veluti jumentum circumducat, *add. Henric. Salmuth. in Responſ. juris pro Matrimon. principis cum Virgine nobili pag. 140. & ſeqq. idem ex cit. Aut. referens.*

Th. XXIII. Judicium amoris circa res: ubi simul de Philtratione Caroli Magni quædam relative.

Th. XXIV. Introductio Dn. Frommani de Fascinatione Magicâ cum excusatione competente. Præparatio ad punctum juridicum, manumissionem, legitimationem, adoptionem, emancipationem, donationem & omnes denique contractus concernens.

Th. XXV. Quid juris circa contractum matrimonialem, si (1.) nesciens se dolosè philtratum esse, vi veneni adhibiti, ex quo maximè violentus affectuum motus pariter ac impetuosus amoris furor, rationis imperium abhorrens atque respuens, concitatur, sponsalia contraxerit?

Th. XXVI. Quid si (2.) dolosè Philtrum quidem applicatum sit, ast non furor aut alius vehementior appetitus commotus; quin potius Philtrans inextinguibile & insolitum desiderium sui apud philtratum conciliaverit, idque in tantum, ut nisi sponsalia subsequantur, is sanitatis, si non vitæ totius, aleam subire cogatur; an & tunc sponsalia annullanda sunt?

Th. XXVII. Quid sentiendum (3.) de dolo & metu, qui solummodò in sponsalia incidunt, v. g. si persona animum saltem habuerit cum philtrante contrahendi, & nondum insecutis sponsalibus, Philtrum eidem insciæ & adhuc secum deliberanti applicetur, per quod illa postea consummata sunt? Quid (4.) si philtrata persona philtran-

trantem primitùs infectata fuerit ejusque affectionem ambierit; & postea eandem deseruerit, adeoque causam aliquam vel ansam ad philtrum insecutum dederit?

Th. XXIIX. Quid si (5.) philtrata persona philtrantem infectata fuerit ejusque affectionem ambierit, & philtrans in ipso sponsaliorum contractu, aut in epulis, quæ eorum celebrationi sæpius adhibentur, ad matrimonium insecutum eò felicius promovendum, philtrum illicitũ applicuerit? Quid si (6.) persona philtrata philtrum se accepisse animadvertens, adversus philtrantem inimicitias concipiat irreconciliabiles sive capitales? An (7.) idem dicendum non solum de philtrantis dolo, sed & culpâ latâ, levi & levissimâ? quid si (8.) persona philtrata juramentum sponsalibus adjecerit?

Th. XXIX. Quid si (9.) copula & benedictio Sacerdotalis contractui sponsalitio per philtra conciliato accesserit? Quid si (10.) copula carnalis?

Th. XXX. Quid (11.) judicandum de partu innocente, si consociatio hæc conjugalis propter probatam philtrationem iterum fuerit dissoluta?

Th. XXXI. Resolvitur objectio & explicatur canon: non debet calamitas parentum nocere ei, qui in ventre est. Quid (12.) statuendum de partûs hujus alimentatione? Quid (13.) juris in puncto alimentationis, si quis à tertio in genere, non verò ad certum subjectum amandum, philtratus & in furorem actus aliquam violenter stupraverit?

Th. XXXII. Si (14.) maritus uxorem, & contra, philtraverit, ut sese hæredem instituat, an hoc Testamentum valeat? quid si (15.) à tertio excessivè philtratus testamentum condat?

Th. XXXIII. An (16.) Philtratus in tantum, ut servitia feudalia personalia, sive quæ requirunt ipsam Vasalli personam, amplius præstare nequeat, feudum retinere potis sit?

Th. XXXIV. Quam actionem (17) Philtratus contra Philtrantem, sive sui, sive tertii gratia venenum illemiscuerit, instituere poterit?

Th. XXXV. Respectu officii judicis disquiritur (1.) quâ pœnâ philtratum reddens afficiendus sit, si nihil, præter impetus amoris, exinde eliciatur atque sequatur?

Th. XXXVI.

Th. XXXVI. Quid juris, si quis (2.) philtrans, ad sui finis obtinentiam, sortilegia nec non remedia superstitiosa & magica adhibuerit? Afferuntur Distinctio juris Saxonici & Constitutiones Criminales Caroli V. Discutitur opinio Berlichii. Annectiturque judicium de Claro, Mollero, Ponzinibio &c. quos tanquam contra se facientes ille adduxerat.

Th. XXXVII. Quid si (3.) amor Venenatus ad effectum pervenerit, adeoque concubitus insecutus sit? quid si præcedenti concubitui pars philtrata acquiescat, nec sponsalia per copulam carnalem jam confirmata rescindi velit? quid si, præcedente solenni benedictione sacerdotali & aliis ceremoniis in foro nostro Augustano adhiberi solitis, concubitus fuerit secutus, & pars innocens nocenti factum remiserit? qvid si pars philtrata injuriam sibi illatam remittere nolit, & per consequens matrimonium annullari petat?

Th. XXXIIX Quid si (4.) effectus Sodomiticus philtrum sequatur? quid (5.) si morbus concilietur?

Th. XXXIX. Quid si (6.) mors sequatur? Defenditur jus Saxonicum ejusque Observantia.

Th. XL. Num (7.) de jure Civili idem, quod in Praxi Saxonicâ receptum est, statutum reperiatur? Ubi sententia & rationes affirmantium proponuntur.

Th. XLI. Subjicitur opinio negantium, quæ adprobatur.

Th. XLII. Judicium de conciliatione Doctorum quorundam, qui jus Civile idem cum jure Saxonico statuere contendunt.

Th. XLIII. Respondetur ad (1.) argumentum Carpzovii. Explicatur l. 38. §. 5. de pœnis. An Aristoteles scripserit, §. abortionis esse contra Regulas Juris gentium?

Th. XLIV. Refutatur (2.) objectio Carpzoviana.

Th. XLV. Enucleatur tertia oppositio petita ex l. 3. §. 2. ad L. Cornel. de Sicariis, additâ quæstione, an illa unquam de punitione philtri formalis cogitaverit?

Th. XLVI. Inducitur Carpzovii locus, ubi, ipsemet sibi contrarius, negantium fovet & sequitur partes. Conjunguntur aliorum, puta Matthæi, Covarruviæ &c. confirmationes. Notatur Girlandus.

Th. XLVII. Alia solutio Delrionis, Bronchorstii & Sociorum quæ rejicitur.

Th. XLVIII. Novus intellectus Girlandi ad legem citatam refutatur, additâ taxatione Berlichii, concernente prædictam Autoritatem Girlandinam.

Th. XLXI. Alia & respective secunda, Girlandi enodatio respuitur.

Th. L. Tertia conjectura Girlandi ventilatur.

Th. LI. Quartum argumentum opinionis affirmativæ dissipatur. Idem fit ad quintum.

Th. LII. Quid si octavò quis apud aliquem amorem venenatum illicitum solùm moliatur, interim nullus planè effectus sequatur, an & ille Venenans pœnâ quadam dignus censendus erit? Examinantur Matth. de Afflictis & Prosper Farinaceus.

Th. LIII. Quæ pœna ejusmodi venenantem manere debeat? Repetitur Controversia, an mitius puniendo, quæ aliquem capro sibi advehi curat, quam quæ consilium ad bonum finem ex Diaboli, à se citati, responso capit.

Th. LIV. Censetur §. fin. J. de Successionib. sublat. Additur limitatio. Quomodo convenienti lenæ & lenones?

Th. LV. Quid habendum de feudi amissione, si (11.) solius consequendæ affectionis ergo Vasallus Domino, aut vice versâ, philtrum procuraverint? quid si uxori Domini, filiæ, nepti ex filio? An (12.) gratia principis aliudve ejus pronubium aut beneficium servandum, positò, quod constet ipsum per philtrum ad hoc præcisè fuisse adactum? Quomodo (13.) animadvertendum in eum, qui literas, vulgò Recepis fascinationem amatoriam aut alia venena magica continentes scripserit? Quid si (14.) filius aut servus, jussu Domini vel parentis, aliquod subjectum philtraverint?

Th. LVI. Quæ jura philtratum peccantem manere debeant? Iterum resuscitatur Bokelius contradicens & sopitur.

Th. LVII. Quæritur (1.) an amor venenatus in flagitio furti & rapinæ item robbariæ excuset?

Th. LIIX.

Th. LVIII. Quid (2.) statuendum de hoc casu: quidam accusatur de receptione furum; hic excipit & docet, se tunc temporis philtratum fuisse, recepisseque res non furis peregrini, sed suæ amasiæ, quam tenerrimè amavit, & contra; quæritur an sit audiendus & excusandus à pœnâ, quæ receptatoribus alias communiter infligi solet?

Th. LIX. Datum Statutum locale, juxta quod delinquens cum admotis scalis ad domicilium alienum punitur pœnâ ultimi supplicii; quæritur (3.) an si ex causâ impetuosi amoris venerati, & quidem satis legitimè probati quis hoc fecerit à pœnâ ordinariâ excipiendus sit?

Th. LX. Si quis (4.) philtratus amore quo extremitus ardens, ad obtinendum suum intentum, tertio fortè, qui ei amoris complendi memoram, vel scienter, vel etiam inopinato, injicit, damnum det, ejusque v. g. fores aut fenestras confringat, aut, quod non rarum est (propter semper urgentem Veneris stimulum amatorias artificiis exagitatum) equum commodatò aut locatò datum, concitatiori cursu, occidit, utrum ex hoc restitutionem urgentem, per exceptionem amoris venerati, qb actione excludere queat?

Th. LXI. Ad quid (5.) teneatur Philtratus, si inficiatur virginem, vel in genere mulierem honestam?

Th. LXII. Quid si (6.) personæ alicui invitæ osculum infigat? ubi Disseritur generaliter de osculis cum limitatione.

Th. LXIII. Judicium pœnale, intuitu hujus Materiæ, ubi simul pronunciatum de quæstione Vasallum concernente, vel ab ipsâ uxore Domini philtrato, vel etiam à tertio ad Venerem nimiam per poculum instigato; an fraudo privandus sit, si postea uxorem Domini in quasi furore & sensuum graviori motu osculatus fuerit?

Th. LXIV. Aliquis (10.) per fortium philtro mediante, singulariter ad amorem concitatus amasiam suam ambit; hujus tamen affectionem, cum sibi postmodum blandimentis ac muneribus conciliare nequiret, publicè pasquillis eam prosecutus est; quæritur, an in ipsum pœnâ libello famoso dignâ animadverti debeat? Quid si quis mulierem frequenter affectetur sub odiosâ potius, per amoris tamen desperationem contractâ, intentione?

Th. LXV. Quomodo puniendus, qui propter poculum amantis venenatũ stuprum vel adulterium commisit?

Th. LXVI. Quid juris circa uxorem alterius meretricio more viventem?

Th. LXVII. Quæritur (9.) an mulier, quæ ex nimio amore [illegible]uti in genere, ita in specie per philtrum causato, amanti soli copiam sui corporis fecit, seque stuprari passa est, vel in dolo constituta scortatrix, Ordinationem Consistorialem transgressa, vel meretrix infamis & turpis persona nominari, adeoque censuræ Politicæ aut Pœnitentiæ ecclesiasticæ solenni subjici debeat?

Th. LXIIX. An idem (10.) ille amoris venenati impetus excuset in crimine Sodomiæ commissio? quid si crimen fuerit qualificatum? quid si mastupratio committatur?

Th. LXIX. Quid si (11.) à tertio philtratus, qui tamen subjecto amato, ratione cujus philtratus est, potiri nequit, pro obtinendo amore, ad sortilegia & artes Diabolicas confugiat? Notetur Clarus. Conferatur de Vignate. Addatur Pegna.

Th. LXX. Quid si (12.) venenati amoris furore perturbatus, offensione, aut Zelotypiâ, aut desperatione, vel nimio desiderio, aliqua dixerit vel fecerit hæretica-lia, an possit excusari, ne hæreticus esse credatur? Quid si quis (13.) amore philtrato insaniens amasiæ suæ imaginem

ginem adorat, aut alia emittit verba, quæ idololatriam sonant? An (14.) venenatæ amatrices, quæ propter intensissimum amorem juvenem in capro sibi advehi curant, cui in itinere aliquid damni per metum & horrorem, item per violentam & Diabolicam vecturam, incussum est, excusentur à pœnâ gladii ordinariâ? Quid si (15.) philtratus in avectionem per Diabolica media philtrantis consenserit?

Th. LXXI. Utrum (17.) Philtratus occidens aliquem intervenientem, fortè Corrivalem, pœnâ ordinariâ sit puniendus?

Th. LXXII. Quid Juris (17.) competat philtrato, violentas sibi manus inferenti, imprimis quoad honestam Sepulturam?

Th. LXXIII. Est (18.) quidam philtratus à tertio, qui cum amasiam suam aliter, quam pecuniâ, expugnare nequit, & tamen nervo rerum gerendarum caret, monetam cudit, fassam tingit, aut alterius bonam monetam radit, quid juris? Quomodo in hoc animadvertendum, si quis (19.) à tertio philtratus rursus personæ amandæ, respectu cujus philtratus est, philtrum exhibet? Qualiter (20.) puniendus philtratus sacerdos, qui in missarum celebrationibus, aut in genere in publicis quibusvis devotis supplicationibus, preces nefarias & turpes ad amorem, imprimis culpabilem, obtinendum admiscet? Ridiculus de Clerico Casus. Ad quod forum Quæstio de Philtris spectet?

Th. LXXIV. Quis philtrum probare, & quomodo in foro Ecclesiastico ac seculari probationem ad defensionem sui valide introducere debeat?

Th. LXXV. Remedia amorem venenatum purgantia superstitiosa. An his annumerandum, si quis per Magiam Diabolicam philtratus, signa philtrationis comperta,

perta, per quæ, tanquam per pactum, Diabolus magis concurrere promisit, destruat, aut alias, ad sanitatem suam recuperandam, Magum philtrantem ad tollendum veneficium vel impetuosè cogat, vel amicè sollicitet? Sequuntur Naturalia & Violenta.

Th. LXXVI. Exciplunt hæc Moralia & Sancta, quibus ultimò combinare poteris quoddam jucundum.

Th. LXXVII. Discursus de Amore Venenato licito.

Th. LXXIIX. Ad supplementum materiæ breviter adnexa est consideratio odiosa, quacum Dissertatio concluditur.

COROLLARIA.

1.

An furiosus tempore intervalli, uxorem suam, quam aliàs semper vehementer amavit, occidit à dolo excusetur? Affirm. Ricuter. Vol. 1. part. 5. Consil. 9. & Vol. 2. Consil. 33. num. 32.

2.

An Casus pro amico vel amica detur? Affirm. Bitschius in special. Tract. de hoc themate.

3.

An solius consequendæ amasiæ, fortè prædivitis aut venustæ, gratiâ castra sectans in conscientiâ peccet? Neg.

4.

An literæ amatoriæ, non habentes expressam conventionem secutæ fornicationis, faciant ad eandem præsumtionem? Neg.

5.

Utrum quicquam mali in se habeat conversatio Spiritualium & Monachorum cum fœmineo sexu, ita ut præsumantur *errare pater noster*: seu potius, ut Baldus vult cum

suis

suis Canonistis, *dicere Soror nostra*: secus atque in Scholaribus? Dubitatur.

6.

An quis concubinam Clerici, ipso vivente, in matrimonium ducere possit? vid. Kornmann. de linea amoris, Cap. 5. pag. 108.

7.

An quis hosti, amore capto, ad sui libidinem virginem honestam tradere queat, cum in finem, ut urbs, excidium metuens, per hoc certò liberetur? Negatur.

8.

An amor pudicitiæ excusare potuerit à parricidio Virginium filiam suam occidentem? Distingvitur.

9.

An amor sui excuset in suppressione innocentis intermedii? Distingvitur.

10.

An naturalis amor erga liberos prioris matrimonii censeatur extinctus per secunda parentum vota nuptialia? Neg.

11.

An odium erga confossum prævia inquisitionem confortet perindè, ut amor, qui antea cum personâ sonticâ & captivatâ intercessit? Affirmatur.

12.

An odium præcedens cum Reo capitale Actorem aliquando possit repellere à juramento suppletorio? Affirmatur.

13.

An detur casus inimico contra inimicum? Affirmatur.

14.

An odia semper restringenda? Negatur.

15.

Quid juris in hoc casu: Aliquis allegat testimonium domesticum super actu aliter, nisi per domesticos, nō probabili: Reus contra objicit exceptionem odii, aut testium singularis erga producentem amoris: quæritur an audiendus? Disting.

16.

Aliquis, ex præconcepto odio, alterum in viâ publicâ cum telo expectat, à quo tamen ita repellitur, ut ipsemet, nisi vitam amitte-

se velit, defensione opus habeat. Quæritur tunc, num si impeditum lædat vel occidat, non obstante odio, allegare queat moderamen inculpatæ tutelæ? Affirmatur.

17.

An naturale sit odium inter Dominum & servum; imprimis ex eo, quod servitus dicatur esse contra naturam? negatur.

18.

An in statu innocentiæ, sicuti affectio, ita etiam odium fuisset dabile hominis erga hominem? Distingvitur.

19.

Probari potest, aliquem contra me hactenus habuisse odium, ille postmodum utitur sacrâ synaxi, quæritur, an illi contra me credendum? Negatur.

20.

Ego alterum ob crimen commissum defero apud magistratum, quæritur, an adversus me præsumptio erga ipsum odii locum habere queat? Distingvitur.

21.

An amor vel odium opponi possint in ipsô executionis actu? Distingvitur.

22.

An amor vel odium utriusque partis repellat à testimonio apodictico? Affirm.

23.

An amatrici & simul supplicanti puellæ ad mortem damnatus debeat concedi, quò matrimonium cum ipso contrahat? Neg.

24.

An legitima sit prætensio Moscoviticarum fœminarum, querentium, à maritis, teste Olearîo, sero se non amari propterea, quod verberibus sæpius non excipiantur? Neg.

25.

An in milite superesse possit tempore conflictus amor erga hostem, quocum aliàs familiarissimè egerat, an verò præcisè requiratur odium? Negatur posterius.

26.

Amoris furore correptus, si fractis exilii finibus, ad locum, ex

quo

quo exulatus fuerat, reus iterum venerit, an amoris gratiâ excusandus sit? Affirmatur, vid. Giurb. Conf. Crim. 47.

27.

An odiosus vocatus censeatur in generali substitutione agnatorum? Affirmatur.

28.

An odium naturale se extendat ad usuras usurarum, & per consequens an hæ Jure naturæ prohibitæ? Negatur.

29.

An amor bruti erga suum fœtum excusat ab actione de Pauperie? Negatur.

30.

An amor maritalis naturaliter possit dividi inter duas uxores? Affirm. Sed an, vice versa, amor uxorius inter duos maritos? Neg.

Nobilissimo atque Præstantissimo

Dn. JOANNI HORNUNGO,

Wernigerodano,

AMOREM VENENATUM

eruditissimâ Dissertatione

ad JCtorum doctrinas

exponenti:

Impensi, liciti ast, amor hic est sponsor amoris.
Perge, idem & Themidos sponsor amoris erit.

boni ominis faustæque gratulat.

ergo scrib.

CASPAR POSNER,

Natural. Prof. Publ. Collegii Philos.

p. t. Decanus, & Acad.

RECTOR.

Ad
Eximium Dn. Respondentem:

TOxica mellifluis è floribus urget arachne:
Mella venenatus sed Tibi fundit amor.

gratulabundus apposuit

JOH. Schiller/D. Consil. Aul.

NÆ philtra potasti Themidos, reor,
Qui militasti non sine pulvere
Musis & Arti mancipatus,
Quin & amatus amore dulci.
Nec philtra fructus ferre malos tibi
Testatur Orbi conspicuus labor,
Quo stringis audaci flagello
Fel Veneris, Tibi Mel Maneto!

C. L. Hornungio,

Industriæ ac pietatis laude conspicuo Jurium Cultori, fortunatum successum ex animo apprecatur

PETRUS Müller U. J. D.
Prof. Publ.

DIsseris egregie, Veneris quæ pocula lauder
Doctorum chorus & quæ fugienda velit.
Fallor

fallor ? an hæc Veneris docte propoſita pocla
Mox Tibi ſperati pocula honoris erunt.

Hisce Tibi, Cl. Hornungi, poſt varios eosque ſat tædioſos labores ultimam chartulis præſentibus manum imponenti, ex animo gratulor

J. G. SIMON, D.

Vere, vides, riguis plantam defigere in hortis
Agricolam, & motâ ſpargere ſemen humo:
Ut ſe maturis quondam locupletet ariſtis,
Ac capiat facili grandia poma manu.
Sic quoque Muſarum gaudes invisere campos,
Credereque ingenio ſemina docta tuo.
Hinc te Melpomene fruſtra haud ſpectabit Olympo;
Sed quæ ſparſiſti ſemina, reddet ager.

JOHAN. PHILIP. Struve / D.

Dum *Te conſpicio de philtris reddere jura,*
Multorum votis gratulor *addo meum.*

boni ominis ergo Dn. Autori
ſcribeb.

SAMUEL Graß / Med. D.

NOxia, quas habeant pœnas, quid, *pocula*, juris
Docte pertractas, nec ſine Laude doces.
Hinc, Te cum ſtudio volviſſe Volumina Docta,
Ipſe ſat es dignus Teſtis, & Acta probant!

Ita Clariſſimo Domino Hornungen / *Fautori ac Amico ſuo certiſſimo, gratulari debuit*

Ecbert Felix Meyerhoff / Dd.

עֵת לֶאֱרֹב, וְעֵת לִשְׂנֹא,
אהכת חקונה, ושנאת חזונה,
אהבת הָרֵעַ, ושנאת הָרַע,
נאוף וכשוף, בחס ואנף,
איז ויש, המכיא בתיש,
הוא נאבד, ולשׂטז עכד,
רק תמיפ ההית, בתית הות ויתיה,
זאת בחבתי, למי שאתכתי
איש צרפתי,

O*Mnia vincit amor* : propriâ vi, ſive *veneno*;
Ille modus laetus, triſtis hic eſſe ſolet.
Vincit amor ſtudii, per ſe, quoque, ſive Magiſtris:
Neuter habet vitium, rectus uterque, modus:

Ita multorum laborum Victori, Clariſſimo ſc. Dn. Hornungio, Auditori ſuo ante hac maximè induſtrio, ſub Conſultiſſimo PRÆSIDE *de* Amore Venenato *publicè diſputanti ex animo gratulatur, ad opponendum invitatus*

Johann Gvilielmus Harprecht,

In juris ſtudio vixiſti tempora vitæ:
Nunc ejus fructus non ſine laude capis.

Hiſce paucis, Nobiliſſimo Dn. Autori de egregio hoc ſpecimine animitus gratulari debuit

Chriſtoph. Johann. VVillich.

Scazon

Scazon:

Quis non amaret hunc adusque philtrantem,
Qui sævit omnes fascinare felici
Philtro Minervas, fascinare consultum
Cum laude mundum? Gratiæ favent menti:
Favent puellæ, quin & ipsa fortuna
Et fama gestit collocare Te sede
Mox altiori. Sic Tibi venenata
Hæc pocla cedunt fausta. Fausta sint opto!

Hisce Nobiliss. Dn. Autori de egregio hoc eruditionis specimine gratulari voluit, ab eodem opponentis munere honoratus

Henr. Hardvv. Knorn.

CLio venenatum tua dum proponit amorem,
Te Themidos blando saucium amore, docet.
Dulce genus philtri! quod post se commoda ducit,
Laudem & libanti conciliare valet.
Gratulor huic philtro, maneant Te præmia grata,
Quæ Themidos philtrum suppeditare solet!

Ita Nobiliss. Dominum Autorem, amicum atque conterraneum suum suavissimum, gratulabundus alloquebatur opponens

Martinus Rundenius, LL. Stud.

Ne vous mettez en peine en l' acqueſt des Sciences;
Vous avez desormais vaincu,
par l' esprit & voſtre vertu;

La fin de vos travaux vous rend content:
Et les Muses s' addreſſent promptement

Tous

Toutes à vous honorer,
Monr. & vous couronner,
De gverdons & de Soyers,
De Diadesmes peculiers.

C'est ainsi que parle à Monr. Hornong, son Amy tres-honoré, se rejouissant de sa presente dispute

Just-George Falckenreich,
d'Hannov.

TUte nunc scandis Cathedram secundo,
Hinc honor surget Tibimet perennis,
Quem futurorum Tibi det potentis
cura Jehovæ.

Hæc pauncula
in honorem Dn. Autoris, Amici & Contubernalis sui plurimùm colendi,
adjiciebat

JOH. Vollimhauß/ VVeidâ Variscâ,
L. L. Stud.

NAch unverdroßnen Schweiß folgt ein begabter Lohn/
Die Anmuths-Rose muß mit scharffen Dornen blühen/
Der Kämpffer nach der Schlacht schmickt die erstrittne Krohn;
Mein Freund; Er kan sich itzt/ durch süsse Lust entmühen.
Er tritt mit gutem Fug an den gelehrten Streit;
Mich heischt entlehnte Pflicht ein Denckmahl abzustatten.
Wohlan/ Ich wünsche Glück zu dieser Tugend Freud/
GOtt wolle seinen Lauff mit Seegen überschatten.

Dieses setzte dem Herrn Autori, als seinem guten Freunde/ zu Ehren Glückwünschend hinzu

Samuel Adolph Müller/
Buchdr.